

## APPENDICE



EDIZIONE CRITICA DEL COMMENTO  
DELL'ANONIMO «MAGISTER» NEL MS. MONS, BU, 62/195

Si propone l'edizione degli estratti dell'anonimo *Magister* trasmessi dal solo manoscritto Mons, Bibliothèque Centrale de l'Université de Mons-Hainaut, Fonds anciens 62/195, una delle fonti preminenti dell'esposizione pseudo-anselmiana, soprattutto quella glossata (cfr. l'*Introduzione*).

Il testo si presenta generalmente corretto, fatta eccezione per alcuni errori facilmente emendabili, imputabili a sviste del copista. Le poche correzioni dell'editore sono indicate nell'apparato, mentre si ricorre a parentesi uncinate per le integrazioni ritenute necessarie.

Per comodità di lettura il testo è suddiviso secondo la scansione in capitoli dell'Apocalisse, di cui si indicano i versetti commentati dal *Magister* tra parentesi quadre. La partizione in *visiones*, invece, si riscontra già nel manoscritto. Il testo dell'Apocalisse è in corsivo, mentre le citazioni scritturali, le soli fonti segnalate, sono accompagnate dal riferimento biblico tra parentesi tonde, preceduto da *cfr.* se si tratta di una rielaborazione o di un'allusione.

Per quanto riguarda la *facies* grafica, ci si è attenuti al testo del manoscritto, che non presenta soluzioni grafiche anomale, salvo alcune doppie incongrue che si è deciso di correggere annotando in apparato la lezione del testimone.



«CAPUT I»

[Apc 1,1-3]

[2v] MAGISTER. Et ne forte quis diceret: Quis tamdiu poterit tribulationes pro Christo sustinere? Consolatur subdens: *Que oportet fieri cito.* Tribulationes ecclesie venturas cito dicit esse transituras et premia subsecutura. Per hoc vero quod dicit sic oportere fieri animat eos quasi inevitabile ostendens. Vel *cito* dicit, quia cito erit dies iudicii vel quia cito unicuique implebuntur hec omnia que Iohannes iste vidit in separatione anime et corporis, quoniam unusquisque suum quodammodo diem iudicii habet etsi nondum communem.

[3r] MAGISTER. Et merito significavit Iohanni, quia *perhibuit*, idest perfecte et sine titubatione alicuius timoris ante reges et presides habuit et manifestavit testimonium Iesu Christi.

[4r] MAGISTER. Hactenus attentionem et docilitatem captavit: et attentio nem, scilicet dicendo quia Apocalypsis est, <et> docilitatem, quia est Iesu Christi qui eos ad intelligendum iuvare potest; dehinc benvolentiam attrahit. Ac si dicat: Deus dedit Iesu Christo visionem et ipse sua misericordia michi per angelum et per me vobis, et scitote quia non solum nos exinde beatifi sed et quicumque legerit. Et quia hic nichil haberent laici, addit: *et qui audierit.* Et quia adhuc non sufficeret ad beatitudinem, addit: *et servat ea que in ea scripta sunt.*

[4v] MAGISTER. Est autem prophetia spiritualis contemplatio aut per dicta aut per immaginationes rerum corporalium incommutabili veritate eventum rerum denuntians. Hunc autem librum, qui prophetia dicitur, qui observaverit beatus esse perhibetur.

[4v] MAGISTER. Ac si dicat: vere beatus est qui hoc facit, quia *tempus prope est*, id est finis huius vite unicuique in quo sine dilatione recepturus est, hec observans, beatitudinis remunerationem. Vere beatus qui parum laborat ut perpetualiter requiescat, felix qui, fidei sacramentis imbutus, que iubentur custodit et que prohibentur non presunit, quia observationis tempus non longas moras innecit et retributionis dies quodammodo in ianuis consistit.

## [Apc 1,4]

[5v] MAGISTER. *Iohannes septem ecclesiis que sunt in Asia*, id est universe ecclesie que est in elatione, quia, cum prius iaceret quasi impotens sui, sub vitiis demersa, erecta est per Christum et confortata ut, iam primi parentis peccato deleto, firmiter contra hostem stare valeat. *Gratia*, id est remissio sit gratis collata vobis potentibus ab his in quibus post discessum meum vel ante deliquistis *et pax*, id est ibi requiescere nec redire ad peccata, quia nullus ad Patrem reconciliationis venire poterit (*cfr.* Io 14,6), nisi donum misericordie precedat, scilicet venia preteritorum, et postea sit ei *pax*, id est quod non redeat ad vomitum. Et *sit vobis ab eo qui est*, id est in Christo cui soli homini convenit esse, qui solus homo iam immutabilis et impassibilis sedet ad dexteram Patris (*cfr.* Eph. 1,20) *et qui erat* in principio apud Deum secundum divinam <naturam> *et qui venturus est* ad iudicium verus Deus et verus homo (*cfr.* I Tim 2,5), quando ignis inimicos eius volvet in infernum et amicos eius radii perpetue claritatis elevabunt in celum. Vel *ab eo qui est*, id est a Patre qui est excellenter et incommutabiliter, et *qui erat* ante omnes creature, et *qui venturus est* ad iudicium, non in sua, sed in Filii persona. *Et a septem spiritibus*, id est ab eodem Iesu Christo, qui ex divina natura dator est septem donorum Spiritus sancti, id est per septem dona Spiritus sancti diffusa in vos per Iesum Christum. *Sit vobis gratia et pax*. Qui spiritus, id est que dona Spiritus sancti, sunt in conspectu, id est *in presentia throni eius*, id est fidelium in quibus sedet Deus, quasi dicat: dona Spiritus sancti, que vobis opto, posita sunt ante vos, quasi in quodam stadio ad illustrationem vestram, ut, si velitis ad ea accedere, claritate illorum illustremini, unde videndum ne in vobis remaneat; et hoc est quod sepe videmus septem lampades pictas ante sedem Dei, que significant septem dona sancti Spiritus que unicuique fideli, quasi in conspectu suo, ad illustrationem preponuntur et vere eum illustrant, nisi vitiorum obfuscatione illa a se repellat. Et recte non sedem, sed thronum posuit et, quia Christus verus iudex et princeps omnium principum in suis fidelibus quasi in throno suo residet, et in eis relucens, prius de se ac postea de proximis rectum iudicium exercet. *Et a Iesu Christo qui est testis fidelis*, vere fidelis testis, qui pro ipsis mortis amaritudine veritatem Patris annuntiare non cessavit, nec solum Patri sed et universo mundo fidelis approbatur, cui precio propri sanguinis (*cfr.* I Pt 1,19) eterna gaudia emit. Quare et nos, fratres, si necesse fuerit, libenter mortem pro eius fide subire debemus; *primogenitus mortuorum*, id est ante omnes homines surrexit (*cfr.* Col 1,18 *et* I Cor 15,20) a mortuis in impassibilitatem et immortalitatem. Quasi dicat: non est despicibilis si ex fidei testimonio consecutus<sup>1</sup> est mortem, quia et inde consecutus est resurrectio-

1. consecutus] -cutus (*consecutus inter lin. a.m.*) M

nem in gloriam impassibilitatis et immortalitatis, quod et omnes, vestigia eius sequentes, facient. Unde non debetis parvi temporis devitare passionem, que perpetue beatitudinis est premium<sup>2</sup>. Hic obicitur de sanctis qui de monumentis in testimonium Christi surrexerunt, quos evangelista dicit (*cfr.* Mt 27,51-53) surrexisse in passione Domini, Christum vero tercia die post resurrectionem; unde videntur in resurrectione Christum, qui dicitur *primogenitus mortuorum*, precessisse. Sed est credendum quod vel non perfecte surrexerunt sed ut iterum, ut Lazarus (*cfr.* Io 11,1-44), delato testimonio, redormirent, expectantes communem resurrectionem, vel si perfecte, id est in impassibilitate et immortalitate surrexerunt, non Christum in resurrectione precesserunt, licet evangelista prius agat de resurrectione eorum quam de Christi, quia sepe per prolem suam prius dicitur, quod postea factum est. Et qui est *princeps regum terre*. Ac si dicat: licet Domitianus et ceteri videantur habere potestatem in nos, tamen nichil in nos possunt, nisi quantum a Iesu Christo ad nostram examinationem et puritatis excpcionem eis permittitur. *Qui dilexit nos*, id est gratis et sine aliquo nostro merito, quasi dicat: qui nos gratis ita amavit, ut nos coheredes sibi per mortem suam constitueret (*cfr.* Rm 8,17), iure a nobis adeo debet amari ut mortem pro eo velimus sufferre. Et non sine proficuo nostro dilexit nos, quia per illam dilectionem *lavit nos a peccatis nostris*. Nec solum lavit et sic dimisit, sed ablutos suo sanguine *fecit nos regnum*, id est regnantes in virtutum provectu et vitiorum depulsi; vel *fecit nos regnum*, id est tales qui, ipso iuvante, sciamus nos et alios regere. Vel *regnum Deo Patri* ex nobis Christus constituit, quando nos tales fecit in quibus ipse cum Patre et Spiritu sancto inhabitare et regnare dignetur. *Et fecit nos sacerdotes*, ut, sicut ipse per obedientiam quam Deo Patri exhibuit factus est summus sacerdos, sic et nos, si pro eo velimus tribulari et perseverare, sacerdotes<sup>3</sup> faciet. Et<sup>4</sup> ut digne corpus eius tractare atque percipere possimus, possunt et aliter electi Dei sacerdotes dici, eo quod semetipsos cotidie per compunctionem cordis et orationis et cetera bona opera offerant Deo, unde Propheta: «Sacrificium Deo spiritus contribulatus» (Ps 50,19), et iterum: «Sacrificium laudis honorificabit me, ipsi gloria» (Ps 47,23). Ac si dicat: quandoquidem ipse tales nos fecit et ergo pro his omnibus *sit ipsi gloria*, id est tales et tam apti ad servicium eius simus, in quibus nomen eius semper glorificetur. *Sit ei et imperium*, id est tales et tam digni simus in quibus imperet, vel per quos aliis, id est per quos alias sue voluntati paret. Et hoc non solum in seculo, sed etiam in secula precedentium seculorum consecutiva quod tantum est. Ac si dixisset: usque ad finem secu-

2. premium] *fort.* *pro* premium

3. sacerdotes] nos *add.* M

4. et *inter lin.* M

lorum. Sequitur *amen* quod nimium desiderium petentis ostendit. Amen enim est adverbium confirmativum apud Hebreos et significat ‘verum est’ vel ‘sine defectu’. A enim ‘*sine*’, *mene* ‘defectus’ dicitur.

[Apc 1,7]

[7r] MAGISTER. Si ita vixerimus ut in nobis et ex nobis sit Christo *gloria et imperium*, gratia et pax erunt nobis, sicut promisit Iohannes. Sin autem, timeamus quod sequitur: *Ecce venit cum nubibus et videbit eum omnis oculus*. Ac si diceret: hunc talem qui tantum dilexit nos et diligere et timere oportet, nam ipse ad consolationem suorum et ad penam et erubescientiam adversariorum suorum venit. Et idcirco non deficiatis pro eo patientes, quia multum erubescunt eum videntes, qui militiam eius hic deseruerunt, sicut econverso consolabuntur illi qui usque in finem in eius militia perseveraverunt. Nec dico ‘veniet’ sed ‘venit’, quia tam certus sum de adventu eius ut possim dicere: *venit* et quasi digito eum demonstrare. *Veniet autem cum nubibus*, ad litteram, que suis erunt ad solatium et illuminationem, vel cum apostolis qui nubes fuerunt choruscando miraculis et pluendo doctrinis.

MAGISTER. Et quidem sancti leves et alacres rapientur in nubibus obviam Christo in aera, peccatores vero suis iniquitatibus, plumbo graviores effecti, submergentur in inferno inferiori.

[7v] MAGISTER. Quomodo videbit eum omnis oculus, cum scriptum sit: «Tollatur impius ne videat gloriam Dei» (Is 16,10)? Sed videbunt eum impii ad sinistram in iudicio, constitutum in ea forma qua in mundo visus est, non in ea qua Deus est (cfr. I Io 3,2). Iusti autem in ea claritate eum videbunt qua modo, in celestibus positi, eum vident et in perpetuum visuri sunt.

*Et qui eum pupugerunt*. Magister. Subaudi: videbunt Iudei, scilicet qui cruciferunt eum lingua clamantes: «Reus est mortis» (Mt 26,66); et milites, qui illudentes eum cruciferunt et illi qui eum in hoc mundo vitiorum spinis pupugerunt. Videbunt autem non ut iam contemnant sicut prius, irrideant, insultent et letentur, sed ut paveant, gemant, lugeant et tristentur. Unde et subditur: *Et tunc plangent se super eum omnes tribus terre, etiam amen*.

[8r] MAGISTER. Plangent dupli ex causa, tum quia videbunt se in eternum tormentari, tum quia videbunt gloriari iustos cum quibus possent gloriari, si sibi in tempore providissent. Videntes autem turbabuntur timore horribili, dicentes inter se: «Penitentiam agentes et pre angustia spiritus gementes» (Sap 5,3). Hii sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum estimabamus insaniam et finem illorum sine honore. «Ecce quomodo computati sunt inter

filios Dei» (Sap 5,5). *Plangent ergo impii se super eum*, fuisse scilicet secundum suam stultam estimationem et non sub eo, id est sub preceptis eius, vel videntes iustos quondam sibi coequales; *super eum*, id est super Christum fundatos et firmatos. Vel *plangent*, id est percutient et confringent *se super eum*, id est ad lapidem offensionis, quia, sicut vas fictile (cfr. Prv 26) ad lapidem confringitur, sic impii ex illa visione conterentur. Qui enim ceciderit super lapidem illum confringetur, super quem autem ceciderit conteret eum (cfr. Mt 21,44; Lc 20,18). Vel *plangent se* potuisse *super eum* fundamenta posuisse et non posuerunt vel se calcasse super eum. In hoc mundo dolebunt et ad horum confirmationem subinfertur *etiam amen*. Et istud etiam non est convictio, sed adverbium confirmandi et tantum valet *etiam amen* ac si dixisset fiet fiet, id est multis argumentis probari potest quod debeat evenire.

### [Apc 1,8]

[8v] MAGISTER. Estne tante potentie ut plangant? Est profecto sicut penditur ex verbis ipsius dicentis: *Ego sum alfa et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus qui erat et qui est et qui venturus est omnipotens*. Ac si dicat: Vere poterit eos punire qui eum pupugerunt, quia ipsius auctoritate comprobo, quia est *principium et finis*. Initium: quem nullus precedit, finis: cui nullus in regno succedit. Initium dans principia existendi omnibus creaturis, finis quia omnibus deficientibus solus remaneo. Quoniam ego sum Deus (cfr. Is 43,3) et mutabilitati nequaquam subiaceo, unde Iacobus: «Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio» (Iac 1,17). Denique si sacramentum huius littere, que est *o* secundum latina elementa, adhuc subtilius indagare volueris, in nulla alia littera tantam figuram non solum totius orbis, verum etiam ipsius Dei reperiemus. Ex omni enim parte sui rotunda et perfecta inventitur, sicut orbis huius seculi a philosophis in modum spere rotundus esse describitur. Preterea si secundum greca elementa attentius inspiciamus istam litteram *o*, invenimus eam esse trimembrem, id est tria membra habentem. Quid igitur designant tria membra in unam *o* litteram sursum respicientia, nisi tres personas in unius summe Trinitatis substantia? Non ergo casu sed certo divinitatis mysterio, in principio et in fine huius libri dicitur: *Ego sum α et ω*, quia illum liber iste per omnem textum sui predicat, qui totum orbem de nichilo creavit et se ipsum unam esse in Trinitate personam in Evangelio declarat dicens: «Ego et Pater unus sumus» (Io 10,30). Tria igitur *o* littere membra in celum respicientia tres personas declarant in una Trinitatis substantia. Et bene eiusdem littere membra sursum aspiciunt et, quasi de celo venientia deorsum, litteram unam efficiunt, quia cognitio sancte Trinitatis per Christum ad nos descendit et in Ecclesiam catholicam in unitate fidei sedem sibi collocavit. Eapropter in Evangelio ipse Dominus ait: «Hec est

autem vita eterna ut cognoscant te et quem misisti Iesum Christum» (Io 17,3). Subauditur et Spiritum sanctum unum et verum Deum esse.

[9r] MAGISTER. Vel principium a quo bona cuncta percipimus, finis quia, eo habito, nichil ultra desiderabimus; quod vero Iohannes, immo angelus, ex persona Dei hoc dicat, manifestat<sup>5</sup> subdens: *dicit Dominus Deus qui est et qui erat et qui venturus est omnipotens*, ad iudicium, scilicet assumere dignos ad gloriam et dare reprobos ad penam.

[Apc 1,10]

[11r] MAGISTER. *Fui in spiritu in dominica die*, id est in tempore gratie et predicatione Evangelii que versatur circa Domini resurrectionem que fuit in dominica die, vel in consideratione dominice resurrectionis vel vacatione<sup>6</sup> servilium operum, id est peccatorum, et celebratione bonorum et spe vere ac beatitudine requiei vel in respectu diei iudicii, que dies erit Domini. Vel *fui in spiritu in dominica die*, id est in tempore quod perpetuam requiem significat.

[11v] MAGISTER. *Et audivi*, ait, *post me vocem magnam* et cetera. Ac si cuilibet fideli et necessario in Ecclesia a spiritu rapto et divine contemplationi intento dicatur: ita inhias celestibus, adhuc oportet te respicere ad ea que reliquisti et fratrum utilitatibus deservire. Licet enim celestis contemplatio desiderari debeat, fraterna tamen necessitas deserenda non est, quod profecto notatur per hoc quod non ante se, sed retro vocem audivit. Vel post se vocem Iohannis et in illo Ecclesia audivit, quia sibi incognita et a patribus predicta intellexit. Que vox tamquam tube dicitur quia ad spirituale<sup>7</sup> certamen hortatur. Vel per hoc quod tuba a stricto incipit et in latius finitur, vult innuere quod prius minora, postea maiora viderit. Vel vocem tamquam tube audivit, id est inspirationem terrentem inimicos et amicos mulcentem. *Tube*, dico, *dicentis: quod vides scribe in libro*. Ad quid?

[Apc 1,11]

MAGISTER. Nomina Ecclesiarum ex sua interpretatione ostendunt quod necessarium fuit illis hoc transmitti. Ephesus enim interpretatur ‘voluntas’ vel ‘consilium’, quia sicut quidam in Ecclesia Ephesi iuxta voluntatem Dei erant viventes, ita quidam sic vivebant ut magno consilio ad emendationem indigerent. Smyrna interpretatur ‘canticum’, quia cum gaudio et cantico sustinebat

5. manifestat *correxi* : manistat M

6. vacatione] vaccinatione M

7. spirituale *correxi* : speritale M

quasdam tribulationes pro Christo. Pergamus ‘bicornua’ dicitur in qua tam iusti quam peccatores erant. Quod autem per cornua virtutes et peccata accipiantur. «Ecce cornua peccatorum confringamus et exaltabuntur cornua iusti» (Ps 74,11). Thiatira dicitur ‘illuminatio’, quia intra se illuminati lucebant et aliis. Sardis ‘apta pulchro’ quia conveniens et decens erat Christo sponso suo, qui vere pulcher dicendus est (*cfr.* Ps 44,3). Philadelphia ‘fraternus amor’ dicitur, quia caritas in ea fervebat. Laodicia vero ‘vomitus’, quia Deus evomuit eam propter teporem.

[13r] MAGISTER. Iohannes convincitur quia, cum in tribulatione illa curam Ecclesiarum quibus preerat esset oblitus, iam solummodo ad summum bonum in contemplatione inhiabat. Unde ammonetur ut respiciat statum ecclesie iam labentem et scribat ei delicta sua prout ipse videbit, ut ita erigat eam. Et ideo dicitur bene conversus de contemplatione eternorum ad curam terrenorum; vel conversus est a littera ad spiritum, quia visio vocis est intellectus spiritualis.

### [Apc 1,12]

[13v] MAGISTER. Attendendum sane quia totus iste liber in septem visiones distinguitur, quarum hec prima de correctione ecclesie agit. Septem vero candelabra idem significant quod septem ecclesie, id est universalem Ecclesiam donis septiformis spiritus refertam. Que candelabra recte aurea sunt, quia Ecclesia auro divine sapientie fulget, lucet verbo et exemplo, habet longanimitatem spei in longitudine et perseverantia et tondendo perficitur diversis huius seculi pressuris. Et recte per candelabra signatur Ecclesia quia lumen quod est Christus portat et aliis predicando demonstrat. Aurea vero idcirco<sup>8</sup> dicitur Ecclesia, quia caritate et sapientia est fundata.

### [Apc 1,13]

[14r] MAGISTER. *In medio candelaborum similis filio hominis appareat*, quia Dominus Jesus Christus est sustentamentum et columna (*cfr.* I Tim 3,15) omnium iustorum in ipso pendentium, sicut columna media sustentat domum. Qui bene in medio stare dicitur, quia equaliter omnibus se offert, omnibus in commune proficit, equaliter se habet ad omnes, non plus removeatur ab uno quam ab alio, nisi peccatis removeantur ab ipso. Nodi candelaborum designant in electis corroborationem virtutum, lumen non a se habent sed a Deo, ad quem qui accedit illuminatur. Aurea dicuntur propter caritatem.

8. idcirco] iccirco M

tem, quia, sicut aurum ceteris metallis preminet, ita caritas ceteris virtutibus vel propter sapientiam que sicut aurum magno labore acquiritur.

MAGISTER. Sicut zona per mamillas angelo iungitur, sic, per observantiam utriusque Testamenti, Ecclesia copulatur Christo (*cfr. Col 1,18 et Eph 5,23*), vel quia ex duobus populis una electorum Ecclesia per compagem caritatis Christo unitur; vel certe *zona aurea* angelus ad mamillas precingitur, per quod datur intelligi quod predicatores qui filios Ecclesie nutriendunt caritate et sapientia debeat muniri. Vel ita mamillas duo Testamenta dicit quibus sibi conexum sanctorum chororum imbuunt: zona enim aurea chorus sanctorum est, concordi caritate Domino adherens et Testamenta compleans, servans, ut ait Apostolus, unitatem Spiritus in vinculo pacis (*cfr. Eph 4,3*).

[Apc 1,14]

[14v] *Caput autem eius et capilli erant candidi tamquam lana alba et tamquam nix.* MAGISTER. Unionem Christi et Ecclesie ingreditur ostendere, costituens personam Christi quasi caput et Ecclesiam membra ut Christus et Ecclesia sint unum corpus. Christus est enim caput Ecclesie (*cfr. Eph 5,23*), in quo omnis fidelis quasi capillus pendet, quod vere candidum, id est sine nigredine peccati est. Et recte per caput Christum accipimus, quia, sicut caput cetera membra regit et sustentat et per illud huius vite refectione transmittitur, sic Christus omnes fideles regit et sustinet et eis per eum vere vite cibus ministratur (*cfr. I Cor 12,12-14*). «Ego sum – ait – panis vite et qui manducat me vivet propter me» (*Io 6,35*). Quapropter dignum est ut qui tali capiti adherent omni virtutum decore fulgeant, ne a tanta unione pro peccatis suis decidant. Nam et capilli huius capitum candidi fuisse describuntur, in quo candore capillorum, qui albe lane assimilatur, fideles in Ecclesia designantur, qui capiti suo Christo adherentes simplicitatis et innocentie vitam tenent. Quorum virtutes et bona opera albedini lane comparantur hic, in futuro albedini nivis, quia nullus in hac vita iuxta perfectionem quam ibi habiturus est esse potest, sicut nec albedo lane iuxta albedinem nivis. Candor enim nivis omnia candida excellit et ideo pro perfectione beatitudinis eterne ponitur. Vel certe candori lane comparantur sancti quia et a se et ab aliis vitorum frigus repellunt et calorem vite infundunt. Albent etiam tamquam nix quia contra vitorum incentiva frigidi immortales et impassibiles ad similitudinem sui capitum sunt futuri.

[15r] MAGISTER. Oculi Domini, id est sancti predicatorum, sunt ut *flamma ignis*, id est ut ignis flammatus vel flamma ignita ubi utrumque est et calor et splendor. Est enim flamma non ignita ut flamma etherea que, cum sit tonitruus, aerem percurrit et quantumvis fragiles naturas sine ardore percutit. Est

etiam ignis non flammatus ut carbo, sed utrumque sunt predicatores sancti, flammati, scilicet quia sine offensione iter veritatis incidentes non sub modio (*cfr.* Mt 5,15), sed super candelabrum positi, aliis lucent, et igniti, quia in amore et fervore dilectionis Dei et proximorum medullitus ardent.

[Apc 1,15]

[15v] MAGISTER. Pedes Domini predicatores sunt qui portant eum ad notitiam hominum, qui *similes auricalco* sunt, quia, sicut auricalcum multis caloribus perducitur ad colorem auri, sic sancti doctores multis laboribus perducuntur ad gloriam futuram Christi. Et hoc sicut in camino ardenti, id est tales esse non possunt, nisi per ardorem tribulationum. Auricalco assimilavit eos et non auro, quia nullus hic ita purificari potest, ut digne aurum nuncupetur, id est ut plene divinam notitiam hic habeat. Sequitur: *Et vox eius tamquam vox aquarum multarum*, id est tamquam vox illa que est aquarum multarum presignativa, sicut tonitruis aliquando vel ventus calidus; quod significabat multos predicatores futuros in Ecclesia Dei. Quod enim in primitiva Ecclesia pauci predicatores, hoc postea totus mundus clamavit. Aliter: vox aquarum multarum multa dona Spiritus Sancti infidelibus prefigurabat quibus ardores vitiorum et in se et in aliis extinguerentur.

[15v] Vel ita MAGISTER: Vox Christi similis aquarum multarum est ammonitio ipsius que obtinet vim doctrinarum multarum; que doctrine lavant sicut aqua; vel tamquam vox quam recipiunt multi populi qui comparantur aque propter fluctuationem vel vox doctrix multarum gratiarum.

[Apc 1,16]

[16r] MAGISTER. Ecce patenter designat non debere deficere aliquem fidelem in tribulationibus quas pro Christo sustinet; nam, ut unumquemque fidelem quasi stellam in conspectu suo lucere faciat, eum etiam hic tenet *in manu sua*, id est in propitiatione sua, ut non cadat vel, si ceciderit, ut citius surgat. Et quia ipse defendit sperantes in se per predicatores suos qui sunt os eius, quia per eos ad nos loquitur, apte subditur: *Et de ore eius gladius utraque parte acutus exibat*.

[17r] MAGISTER. Facies Christi sicut sol lucens in virtute sua videtur, per quod significavit propter se esse patiendum, quia unusquisque qui est *facies eius*, id est representans eum bene operando, patienterque propter eum tribulationes sustinendo, ut ipse qui est verus sol, qui alios illuminat, lucens existet et hoc *in virtute sua*, hoc est in immortalitate et impassibilitate sua, vel sicut ipse hic fulsit virtutibus et miraculis, sic et ipse lucebit qui facies eius sic erit.

## [Apc 1,17-18]

[18v] *Et cum vidisem eum cecidi ad pedes eius tamquam mortuus.* MAGISTER. Ac si dicat: cum talem ac tantum vidisem, id est mente intellexisse, *cecidi*, id est nichil me reputavi, et ad comparationem eius virtutem meam parvam putavi; et cum *<vidissem eum>* cecidi non remote, sed iuxta *pedes eius*, id est nichil reputavi quod usque tunc passus fueram; et tunc vovi me tantum passurum quantum patientur *pedes*, id est extrema membra eius, qui sub Anti-christo atrociter tormentabuntur. *Et cum cecidi tamquam mortuus* apparui optans scilicet secundum illud mori quod mori non est sed tamquam mori, quia talis mors vitam prestat.

[18v] *Et posuit dexteram suam super me dicens: Noli timere.* MAGISTER. Quasi dicat: et quia ita me moriturum pro eo vovi, *posuit super me dexteram suam*, id propitiationem tantam, que erat *super me*, id est excellens possibilitatem meam, id est plus habui voluntatis quam possem etiam ferre si non sustentaret me. Vel *posuit*, idest firmiter statuit *dexteram suam* in adiutorium *super me*, id est maiorem gratiam promisit quam possem cogitare; vel *posuit dexteram suam super me*, id est implevit me spe eterne vite que omne meritum meum transcendit, dicens: *noli timere*, id est commonens me per Scripturas vel faciens me intelligere propter spem eterne requieci non esse timendum, nec retrocedendum a se pro transitoriis tribulationibus. Ait enim: «Nolite timere eos qui occidunt corpus etc.» (Mt 10,28).

[19r] *Ego sum primus et novissimus et vivus et fui mortuus et ecce sum vivens in secula seculorum.* MAGISTER. *Ego sum - inquit - primus*, id est ante omnes creaturas existens (cfr. Col 1,16), et ideo potestatem habeo te destituendi qui te constitui. Vide ergo ne pro nomine meo pertimescas passionibus; subdit: et per hoc etiam debes pro me velle mori, quia sum *novissimus*, id est ultimum et sempiternum premium remunerandorum, quia qui meum conspectum et mei cognitionem perfecte habent consummantur, id est maius vel melius non querunt. Et quasi diceret Iohannes: Scio quidem, Domine, cum sis primus et novissimus, quia patiendum est pro te, sed forsitan si scires quam grave sit mori, non ita alios hortareris mori. Dominus ad hec: scio equidem, nam ego fui mortuus non pro meo sed pro vestro delicto. Et quare vos pro vobis metipisis non moriamini ut perpetuo vivatis? Et vere, si taliter morimini, sperare debetis de vita; nam ego qui pro vestra vita mortuus fui, *sum vivens in secula seculorum*, id est in eternum, et eos qui pro me morientur similiter in eternum mecum faciam vivere.

[19v] MAGISTER. Adhuc aliam causam subdit, quare non sit timendum tribulari, sive temptari pro ipso, quia ipsi qui tribulant vel temptant non pos-

sunt affligere, nisi quantum eis ad utilitatem nostram permittit. Nam sequitur: *Et habeo claves mortis et inferni.* Per mortem diabolus intelligitur, quia et in se ipso mortuus est et alios pertrahit ad damnationem eternam, que est vera mors. Invidia etiam diaboli mors introivit in orbem terrarum, infernus vero locus est in quo diabolus habitat et ob hoc persimile tortores sanctorum vocat infernum. Consoletur ergo Christus milites suos, consoletur et dicat: O qui pro me tribulamini, o qui in meo servitio temptamini, nolite timere, nolite deficere, cum habeam *claves*, id est potestatem mortis, id est diaboli, vobis et de vobis mala persuadentis, et *inferni*, id est cuiuslibet reprobi mala vobis inferentis. Qui enim habet claves ostii, in arbitrio et permissione eius est qui ingrediatur vel egrediatur per ostium.

### [Apc 1,19-20]

[20r] *Scribe ergo que vidisti et que sunt et que oportet fieri post hec.* MAGISTER. *Ergo, id est quandoquidem ego talis, qui sum primus et novissimus, sum vobis exemplum patiendi, scribe, id est bene in mente retine et annuntia que intellexisti utilia ad instructionem tuarum Ecclesiarum, id est quomodo alii iam passi sunt pro me, et ego ipse passus sum pro eis. Et que sunt, id est quomodo alii nunc patiuntur et que oportet fieri post hec, id est quomodo illi patientur qui tempore Antichristi erunt.* Et hic Iohannes tenet tipum predicatorum, qui ea que in lege et prophetis de Christo intelligunt, aliis pandunt. Et nota quod hic in repetitione precepti negligentiam torporis a predicatorum studio removere voluit. Sequitur: *Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea et septem candelabra aurea.* Sacramentum mysterium est, ubi aliud dicitur et aliud intelligitur. Et dicitur sacramentum quasi ‘sacrorum mentum’, id est memoria.

### «CAPUT II»

### [Apc 2,1]

[21r] *Et angelo Ephesi ecclesie scribe: hec dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* MAGISTER. Rectori ecclesie specialiter scribit, de cuius manu subditorum peccata requirit. Potentiam vero premittit ut ostenderet se posse remunerare fideles et infideles damnare.

### [Apc 2,2-3]

[22r] *Scio opera tua et laborem et patientiam tuam quia non potes sustinere malos, et temptasti eos qui se dicunt apostolos esse et non sunt, et invenisti eos mendaces et*

*patientiam habes et sustinuisti propter nomen meum et non defecisti.* MAGISTER. Non – inquit – oblivioni tradidi sed bene habeo in memoria opera tua bona, scilicet ieunia, orationes, vigilias et elemosinas, ut pro eis te remunerem. Et *scio laborem tuum*, quem sustines instruendo subditos, cum te exasperent sepe, *et patientiam tuam*, id est quam patienter feras ab eis tibi illata convitia e non commoveris ad iram. Vel laborem a persecutoribus qui multa mala pro predicatione tibi inferunt et sustines cum patientia. Et *scio etiam*, id est approbo, *quia non potes sustinere malos*, id est quod non tantum confidis in viribus tuis, ut tue virtuti aliquid imputes, sed potius dicis: Domine, iuva fragilitatem meam, *quia nisi iuves non potes sustinere hereticos qui Ecclesiam tuam impugnant*. Vel *non potes sustinere* quin corrigas vel ab Ecclesia expellas, vel *non potes sustinere* consensu licet sustineas cohabitatione.

[22v] MAGISTER. *Patientiam* – inquit – *habes*, id est ad nullam iram contra malos commotus es, sed patienter *sustinuisti*, id est sursum tulisti, id est letatus es in eis, et hoc non propter humanum favorem, sed propter nomen meum detinendum in Christianis, ne, sequendo errorem eorum, amitterent nomen quod a meo nomine habent, Christiani scilicet, vel filii Dei.

#### [Apc 2,4]

[23r] *Sed habeo adversum te quod caritatem tuam primam reliquisti.* MAGISTER. Hec omnia predicta – inquit – *scio et laudo*, ut pro eis te remunerem; sed quiddam *scio quo remoratur corona debita*, quod est *adversum te*, id est quo tibi sum adversarius, *quia scilicet primam caritatem reliquisti*, id est *quia deservisti caritatem que prima est et caput omnium virtutum*, *quia scilicet maleficienes tibi non diligis*. Ferebat quidem patienter, sed diligere non poterat. Quam caritatem vix aliquis habere potest.

#### [Apc 2,5]

[23v] MAGISTER. *Memor esto* – inquit – *unde excideris*, quasi dicat: Quandoquidem tot et tanta bona operatus es et in hoc solo quod caritatem reliquisti, reus omnium es nisi corrigas, itaque *memor esto* de quanto honore et decore corruisti et labora ut rursum erigaris. *Et age penitentiam*, *quia non tantum dimittendum est malum*, sed etiam digna penitentia diluendum. Et postquam egeris penitentiam, *prima opera fac* que fecisti vel opera tua erunt *prima*, id est optima, vel tene caritatem que primum opus est, id est excellens (cfr. I Cor 13,13). Si autem hoc non feceris, *ego venio tibi*, id est ad damnationem tuam et non solum te damnabo, sed *movebo candelabrum tuum*, id est Ecclesiam tuam te audientem in hoc peccato cadere faciam in reprobum sensum et precipitabo a dignitate bone vite, in qua modo stare videtur. Plus minatur et ter-

ret cum Ecclesiam propter eum perituram<sup>9</sup> dicit, quia tot perire propter se maximum periculum videri sibi debet. Vel *movebo candelabrum tuum*, id est Ecclesiam tibi commissam alii committam.

### [Apc 2,6-7]

[24v] MAGISTER. Patet quidem ex hac nominis huius interpretatione stultitia magistri et discipulorum, sed Nicholaus, gloriosus Christi confessor, cum alio officio aliam interpretationem in eadem nomine habet. Nicholaus quippe ‘promptus adiutor’ interpretatur. Et hoc sepe invenitur ut idem nomen secundum diversa officia diversorum significatorum diversas habeat interpretationes.

[25r] MAGISTER. Hec vox hortatoria est ipsius dominice persone vel ipsius Iohannis. Ait ergo: *qui habet aures*, id est omnis ad cuius aures perveniet hec visio, sit attentus, quia quod uni dico, omnibus dico (*cfr. Mc 13,37*). Ergo *qui habet aures*, id est spiritualem intellectum, vel *qui habet aures*, id est cui committuntur auditores, ut ad prelatos per excellentiam dictum sit, *audiat*, id est audita impleat ut proprie et recte dicatur audiens, *audiat* – inquam – *quid spiritus*, id est tota Trinitas, promittat non uni tantum Ephesiorum Ecclesie, sed omnibus Ecclesiis. Quid? Rem incomparabilem et ammirandam et precio mortis emendam.

[25r] MAGISTER. *Dabo ei edere lignum vite*, id est me ipsum dabo ei in retributione vel dignum faciam eum ad sumendum corpus meum, quod est *lignum vite*, per quod recuperabit vitam amissam in ligno.

### [Apc 2,8]

[26r] MAGISTER. *Et angelo Smyrne ecclesie scribe*. Magister. Smyrna interpretatur ‘canticum’, quod aperte fidelibus illis quibus in persona istius Ecclesie loquitur congruebat. Canticum enim ad letitiam pertinet. Merito ergo canticum appellantur qui in preceptis Domini observandis delectantur et Dominus in eorum operibus; merito hoc nomine censemur non sola illa Smyrneorum Ecclesia, sed et tota sanctorum unitas, que cantat et psallit Deo in corde suo, et, quasi cantando, tribulationes sustinet, spe remunerationis exultans «et cantans in viis Domini quam magna est gloria Domini» (*Ps 137,5*). Et notandum quod, sicut angelum Ephesi supra de culpa subditorum redarguit, ita et huic angelo de bonis operibus subiectorum suorum remunerationem promittit.

9. perituram] *non legitur sed a.m. inter lin. scripsit.* peritura M

## [Apc 2,9]

[26v] MAGISTER. *Scio – inquit – paupertatem tuam, sed dives es*, id est, cum dives sis in virtutibus, non habes spiritum<sup>10</sup> superbie. Pauper es rebus, fide autem dives et operibus, pauper es opibus terrenis, sed dives spe remuneratio- nis in gloria beatitudinis. *Et blasphemaris ab his qui se dicunt Iudeos esse et non sunt*, cumulus est tribulationis quod ab hoste familiari vexatur. Solebant enim dicere Christo, tamquam erroneo, et discipulis eius, tamquam vilibus et pannosis, nequaquam credendum esse, sed potius ipsis quibus ipse Deus locutus iugiter et ad quos omnes suos prophetas misit. Si enim verus filius Dei esset ille Jesus, nos utique, quibus lex data est, cognovissemus, quia et cultores et confessores Dei sumus. Ecce qualiter Iudeos, id est Dei confessores, se fingunt, dicentes se esse filios Abrahe, sed «si filii Abrahe essent, opera Abrahe face- rent» (Io 8,39). Et quia tam ipsi quam falsi Christiani, qui quod ore confiten- tur factis negant, veri Iudei non sunt, videamus qui sint. *Sed sunt synagoga Sathane*. Synagoga ‘congregatio’ interpretatur quod videtur pertinere ad irrationabilia, quasi pecorum sit. «Homo enim quia non intellexit comparatus est iumentis insipientibus» (Ps 48,21). Ecclesia vero dicitur ‘convocatio’, quod manifeste de rationabilibus dicitur.

[28r] MAGISTER. *Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vite*. Magis- ter. Ac si diceret: Quandoquidem omnibus diebus vite tue tribulaberis et hoc non potes evitare, igitur *esto fidelis*, id est tene testimonium tuum et noli defi- cere, sed in eo persevera usque ad mortem. Et vere debes perseverare, nam per- severanti *dabo coronam vite*, id est signum victorie perducentis ad vitam.

## [Apc 2,11]

[28v] MAGISTER. Due sunt vite anime et corporis similiter: prima vita anime constantia in virtutibus, secunda glorificari in vita eterna. Prima mors anime obtineri in peccatis, secunda in eternum puniri. Prima vita corporis, coniunctio anime, secunda resuscitari ad vitam. Prima mors dissolvi ab anima, secunda damnari in iudicio. Qui ergo suggestiones et tormenta diaboli supera- vit in hac vita, tam in anima quam in corpore non ledetur a morte secunda.

## [Apc 2,12]

*Et angelo Pergami ecclesie scribe: hec dicit qui habet rumpheam ex utraque parte acutam. Scio ubi habitas, ubi sedes est Sathane. Et tenes nomen meum et non negasti fidem meam et in diebus Antiphas testis meus qui occisus est apud vos, ubi sedes est*

10. spiritum bis repetitur a.c. in M

*Sathane.* MAGISTER. Pergamus dicitur ‘divisio cornuorum’<sup>11</sup> vel ponuntur autem cornua, ubi aliqua significatur pugna, ut in hac Ecclesia quedam pars mala bonam impugnabat. Sed cum dicit mandantem habere *rumpbeam*, id est gladium utrimque secantem, ostendit ipsum esse qui iudicaria potestate secernat malos a bonis. Precipit etiam tam Veteri quam Novo Testamento, bonum a malo secernendum ut eligatur bonum.

[Apc 2,17]

[32r] MAGISTER. Vincenti manna absconditum promittit Christus, id est se ipsum qui in manna absconditus fuit. Vel *manna absconditum* quod vincetibus mundum promittitur est «quod oculus non vidit, nec auris <audivit> et in cor hominis non ascendit que preparavit Deus diligentibus se» (I Cor 2,9). Vel *manna absconditum* sapientia Dei dicitur, que abscondita est infidelibus secundum illud: «Confiteor tibi Pater Domine celi et terre, quia abscondisti hec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis» (Mt 11,25). *Et dabo ei calculum candidum*, calculus est lapis solidus et lucidus per quem significatur sermo divinus, qui dicitur lucidus quantum ad veritatem, solidus, quia infringi non potest. Dicitur etiam candidus quia candidatos facit. *Et in calculo nomen novum*, Christianum scilicet, ut a Christo Christiani filii Dei nominemur et scimus, quod nomen nemo plene cognovit secundum suam proprietatem, nisi qui accipit calculum, id est nisi in quo habitat sermo divinus. Vel *calculum*, id est predictionem Evangelii per quam numerabitur inter sanctos. Antiqui enim nigris lapillis adversa, candidis numerabant prospera. Vel per calculum corpus humanum, solidum contra vitia, lucidum multiplicitate virtutum. Habent alie translationes: carbunculum vel carbonem, sed idem significat.

[Apc 2,21]

[35r] MAGISTER. Habet alia translatio *mitto eam in lectum*, id est in perpetuum dolorem.

[Apc 2,28]

[38v] MAGISTER. *Et dabo illi stellam matutinam.* Hoc ad premissa referendum<sup>12</sup> est, cum superius ubique ad sequentia.

11. cornuorum] *fort. pro* cornuum M

12. referendum] referendum a.c. M

«CAPUT III»

[Apc 3,1]

[39r] MAGISTER. Nitent quidem – inquit – et sunt pulchri interius, sicut sardis lapis ille pulcher et lucidus, ad cuius similitudinem civitas vocatur Sardis. Et quia pulchra est quantum ad se et pulchros et puros a vitiis continet in se, episcopo istorum talium scribens, auctoritatem mittentis premitte ita, dicens: O fraterne episcope, ista que tibi mitto non dico ex mea parte, sed illius<sup>13</sup> qui habet in sua potestate septem spiritus Dei, id est septem dona Spiritus Sancti, qui et dare potest ea cui vult et auferre. Et ideo cave ne tibi auferrat, si habes, et labora ut tibi donet ea, si non habes. Et *qui habet* similiter in potestate sua *septem stellas*, id est septem episcopos lucem aliis prebentes, de quibus tu es unus; et ideo vide ne eum offendas in cuius potestate es, qui potens est tibi et bonum et malum facere.

MAGISTER. Ille talis est et tam potens; audiamus quid dicit: *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas et mortuus es.* Video – ait – quod bene operaris, sed non prosunt tibi opera tua, et hoc ideo *quia habes nomen*, id est laudem et vanam gloriam queris habere de hoc quod bene vivas. Et quidem videris tibi et aliis vivus, id est iustus et mundus a peccatis, sed non est ita, *quia mortuus*, id est peccator es pro eo quod vanam gloriam queris. Vel ideo arguitur quia solam fidem sufficere sibi credebat ad beatitudinem percipiendam sine operibus (*cfr. Iac 2,17*). Hic autem *scio* non ponitur pro eo quod est ‘eligo’ vel ‘lauдо’, sed tamquam diceretur: Aperta habeo opera tua.

[Apc 3,2]

[39v] MAGISTER. Ac si diceretur: Attende et cognosce te esse peccatorem non iustum et cessa a iactantia et vana laude quam pro bonis operibus tuis queris et inde penitentiam agendo *confirma*, id est omnino firma ut tibi prosint cetera bona opera, que pro humano favore vel sine caritate facta sunt moritura, *quia cum inde remunerationem expectes quandoque apparebunt tibi inutilia.* Si ergo vivere vis, cave ne laudem ab hominibus requiras, unde Dominus: «Attendite ne iusticiam vestram faciatis coram hominibus» (Mt 6,1).

[Apc 3,3]

[40v] MAGISTER. Quia – inquit – solummodo vigilantes in bono placent michi, non torpentes ocio, ideo admoneo te ut viglies. *Si autem non vigilaveris, veniam tibi tamquam fur*, id est ut te occidam et spoliem. *Veniam*, dico, *tamquam*

13. illius *correxii* : ille M

*fur*, quia sicut fur hominem incautum spoliat bonis que se habere putabat, ita ego te virtutibus quas habere putaris et fama qua modo gloriaris spoliabo. Et quod magis est tibi timendum, in reprobum sensum traditus, *nescies quando veniam*, id est non preparabis te ad illam horam quando de hac vita te auferam. Audiant hoc et timeant qui, somno desidie depressi, emendationem vite vigilanti studio non exequuntur, qui ducentes in bonis dies suos, in puncto ad inferna descendunt (*cfr.* Iob 21,13).

### [Apc 3,5]

[41r] MAGISTER. Quamvis – ait – in persona tua sis vituperandus, tamen in quibusdam membris es laudandus. *Habes enim pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua*; non dixit ‘paucos’ sed *pauca nomina*: «proprias enim oves vocat nominatim» (Io 10,3); qui Moysen novit ex nomine et suorum scribit nomina in celo sanctorum (*cfr.* Lc 10,20). Vel ideo *nomina* dicit quia sicut per nomina scimus proprietates rerum, ita Dominus novit omnia facta et proprietates quasi per nomina. *Qui non inquinaverunt vestimenta sua*, id est immortalitatem et innocentiam quibus in baptismate vestiti sunt. Et quia non *inquinaverunt vestimenta sua*, id est maculaverunt per aliquod criminale peccatum virtutes et purificationem sui corporis post baptismum; ideo ipsi, perseverantes in illis albis et pulchris vestimentis, *ambulabunt tecum*, id est, promoventes semper in melius, me imitabuntur, id est ad conformitatem meam pertingent.

### [Apc 3,5]

[41v] *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis et non delebo nomen eius de libro vite et confitebor nomen eius coram Patre meo et coram angelis eius.* MAGISTER. Quia vide-licet non solum illi qui semper boni permanerunt eterna beatitudine vestientur, sed similiter qui aliquando inquinatus fuit, si vestimenta sua per confessionem et penitentiam laverit et diabolum et eius temptationa superaverit, ac si numquam vestimenta sua inquinasset in corruptione corporis et anime vestitus, in illa celesti vita fulgebit. *Et non delebo* – inquit – *nomen eius de libro vite*; secundum humanum intellectum hic loquitur, quia cum videmus aliquem bene operantem, dicimus eum in libro vite esse scriptum; si autem videmus eum a bono retroire, dicimus: Modo est iste deletus de libro vite in quo scriptus erat, cum nemo scribatur ibi amplius neque deleatur, quia qui-cumque in eo scripti sunt et inde deleti fuerunt, ibi scripti et deleti antequam mundus fieret. Liber enim vite prescientia dicitur divina, in qua secundum suam eternitatem nichil ascribitur vel deletur, sed dicuntur hec secundum presentem statum cuiusque, ut si quis in bono se habeat dicitur ascriptus in libro vite, si ad malum se habet, dicitur deletus de libro vite.

## [Apc 3,7]

[42r] MAGISTER. Confessio Christi nichil aliud est, nisi retributio que palam fiet in iudicio. Felix plane quem ibi confitebitur Christus, de quo coram Patre suo dicere poterit: hic me hospitatus est, hic me vestivit, hic me satiavit, hic michi ministravit (*cfr.* Mt 25,35-36). Bene ergo sicut in ceteris epistolis subiungitur: *qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis. Et angelo Philadelphie ecclesie scribe.* Philadelphia, sicut dicit sanctus Beda, ‘fraterna dilectione’ interpretatur et per hoc notatur universalis Ecclesia, que dilectioni Dei et proximi se mancipat. Vel, secundum beatum Ambrosium, Philadelphia ‘salvans hereditatem’ dicitur et hoc convenit universalis Ecclesie, que se servat fide et opere. Ipsa est enim hereditas Domini, sicut in Psalmo dicitur: «Pete a me et dabo gentes hereditatem tuam» (Ps 2,8). Philadelphia ergo ‘amor fratrum’ interpretatur: ‘philos’ enim grece ‘amor’ dicitur latine, ‘adelphos’ fratres. Ex qua interpretatione innuitur nobis episcopum huius Ecclesie sollicitum ac vigilantem pro salvandis fratribus extitisse et in ipsa Ecclesia fraternum amorem fervere. Et, sicut in superioribus epistolis, mandantis auctoritatem premittunt, idoneum ostendens qui talia mandet. Dicit ergo: *Hec dicit sanctus et verus qui habet clavem David qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit.* O episcope – inquit – que tibi scribo non sunt ex me, sed ille qui est sanctus in se et sanctificans alios sanctos (*cfr.* Io 17,19) dicit hec. Et ideo videoas ut sanctus sis, ut sancti sanctorum verba digne possis audire; nec solum sanctus sed et verus, quia sicut Deus Pater promisit per eum salvationem mundi, sic facta est, et cetera omnia que similiter promisit se facturum, vel iam sunt facta vel sine dubio fient. Et ideo certus esto de hoc quod promittit se daturum tibi: quosdam de synagoga Sathane, quia habet clavem David, id est carnem de semine David, per quam manifestat se implesse vel impleturum que promisit vel per quam aperit David, id est omnium oracula prophetarum. Ideo autem loco omnium prophetarum hic ponitur David, quia ipse fuit precipuus prophetarum, qui aperit Scripturas et prophetias, dando intellectum fidelibus, et nemo hereticus eis claudit et claudit eas infidelibus, iusto et occulto iudicio dando eos in reprobum sensum (*cfr.* Rm 1,28) et nemo eis aperire potest. Vel celeste regnum quibus vult aperit et nemo claudit. Et nemo potest aperire cui claudit et ideo ei libenter servite, ut vobis aperiat illud potius quam claudat.

## [Apc 3,10-13]

[43v] *Quoniam servasti verbum patientie mee, et ego servabo te ab hora temptationis que ventura est in orbem universum temptare habitantes in terra.* MAGISTER. Verbum patientie Christi est ea que narrantur de patientia Christi, ut in exemplum patientie ipsius quam habuit pro nobis in cruce moriendo et pro inimicis

orando, non solum inimicos diligamus, sed etiam pro ipsis oremus. Qui itaque sic servaverit verbum patientie Christi, servabitur et ipse a Christo ab hora temptationis, ne scilicet cedat temptationibus in presenti vel maxime temporibus Antichristi, vel in die iudicii quando singulorum facta discutientur. Hoc ergo verbum patientie Christi in omni pressura sibi proponat omnis anima fidelis, si *ab hora*, id est a tempestate temptationis extreme, vult a Christo liberari.

[44v] MAGISTER. Ne electi, videntes se tribulationibus atteri, conquerantur dicentes: Quis tamdiu poterit pati?, consolatur eos divina vox dicens: Ne diffidatis<sup>14</sup>, ego cito succurram et finita temptatione cito ad remunerationem perveniam. *Cito* – inquam – quia cito transit mundus iste. Tu interim *tene quod habes*, id est persevera in patientia, ut nemo persecutor accipiat, id est auferat, *coronam tuam*, id est remunerationem tibi a Deo paratam si perseveraveris. Vel humano more hic loquitur, quia dicimus aliquem habere vel perdere coronam a Deo paratam, secundum quod videmus eum operari in hoc seculo.

MAGISTER. Nec solum tu, o episcope, sed et omnes qui in luctamine contra aerias potestates sunt constituti, audiant quod sequitur: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius, et scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitatis nove Ierusalem que descendit de celo a Deo meo et nomen meum novum*. Quid plura? *Quicumque habet aures, id est spiritualem intellectum, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis*. Quicumque temptationes et adversa huius seculi propter me devicerit, *faciam illum columnam in templo Dei mei*, id est gloriosus in templo Ecclesie existens<sup>15</sup>, nullam adversitatem<sup>16</sup> timebit ultra iacturam, vel constans et infringibilis nequaquam vitiis subiacebit vel substentator aliorum virtutibus eminebit.

[45r] MAGISTER. *Scribam super eum inquit nomen Dei mei*, id est faciam illum vocari filium Dei, non per naturam sed per adoptionem. *Nomen ergo Dei*, quod est eternum, super unumquemque iustum scribitur, quando ei eternitas cum Domino permanendi largitur. Et *nomen civitatis nove Ierusalem*, quia unusquisque electus erit civis illius civitatis et inde habebit nomen, scilicet a civitate, id est civis videns pacem, quia Ierusalem interpretatur ‘visio pacis’. Nova ergo Ierusalem illa est que non ex lapidibus sicut vetus, sed ex sanctis hominibus cotidie edificatur, in qua visio pacis, id est visio Dei, sanctis exhibetur. Nova esse dicitur, quia solum novos continens, nichil in ea remanet vetustatis. Nomen ergo Ierusalem super unumquemque ponitur electum, dum ei conce-

14. diffidatis *p.r.* M

15. exi- *p.r.* M

16. adversitatem *correxi* : adversitatis M

ditur sine fine videre Deum. Vel nomen Ierusalem super eum scribitur, cum ipse sit Ierusalem, scilicet in quem Deus regnare dignatur, in societate vide- licet omnium electorum qui celestis Ierusalem vocantur.

### [Apc 3,18]

[48v] MAGISTER. Aurum ignitum sapientiam vel caritatem accendentem fructum penitentie dicit probatum, probatos reddens et perfectos. Hoc – inquit – eme precio afflictionis et elemosinarum, ut locuplex fias fide et operatione virtutum. Et *vestimentis albis*, id est immortalitate et innocentia quam accepisti in baptismo, induaris, ut non appareat confusio nuditatis tue, sicut olim contigit Adam et Eve (cfr. Gn 3,7). Melius est enim hic coram paucis humiliari ad penitentiam, quam in die iudicii coram omnibus erubescere. *Et collirio*, id est lacrimabili compunctione, iniunge oculos cordis, ut cognoscas nuditatem quam pateris. Vel *collirio*, id est divino precepto vel studio sacre Scripture vel donis sancti Spiritus, visum cordis illumina, qui modo infirmus est ad videndam veritatem.

### [Apc 3,20]

[50r] MAGISTER. *Quia – inquit – non es perfectus*, imitare bonos agendo penitentiam, et debes agere, quia non prorsus despexi te, quia *ecce*, iuvans fragilitatem tuam, *sto ad ostium cordis tui et, pulsans, moneo*, ut si quis intelligens me pulsantem aperuerit michi, mundando conscientiam suam, tangam illum interna inspiratione. *Et cenabo cum illo et ipse tecum*, id est delectabor de eius profectu et ipse de mea retributione.

**EXPLICIT VISIO PRIMA. INCIPIT SECUNDA VISIO.**

### «CAPUT IV»

[51r] MAGISTER. Apte cum in hac secunda visione animare velit fideles ad tribulationem sustinendam pro Christo, in prima de correctione Ecclesie premisit, quia tunc maxime prodest pena cum non punit delicta; quam scilicet visionem<sup>17</sup> non diverso tempore, sed eadem die dominica qua et primam vidit.

### [Apc 4,3]

[53r] MAGISTER. Per yrin significatur divina miseratio. Habet enim duo in se: et similitudinem, scilicet arcus, per quod notatur protectio, et caret corda, per quod notatur propitiatio. Qui bene *similis visioni smaragdine* dicitur, quia

<sup>17</sup>. quam...visionem *correxii* : qua...visione M

sicut smaragdus sua viriditate oculos recreat, ita divina miseratio mentes desperantium suscitat.

[53v] MAGISTER. Vel per coronas aureas intellige mundanas cogitationes de diabolo victoriam facientes, quas habent sancti in capitibus, quia firmiter eas fixerunt in suis mentibus. Auree sunt quia per sapientiam et caritatem eas et adquirunt et custodiunt.

#### [Apc 4,7-8]

[55r] MAGISTER. Alio ordine posuit Ezechiel hanc visionem (*cfr.* Ez 1,10), quia prius posuit hominem, deinde vitulum, postea leonem, postremo vero aquilam. Sed quia videt que futura erant, eo ordine posuit quo ventura erant: prius enim Christus, deinde cetera. Iohannes autem, impleta videns, leonem preposuit, quasi fundamentum totius nostre fidei que maxime ex resurrectione Dominica solidatur.

#### [Apc 4,8]

[56r] MAGISTER. Sex ale sunt sex opera misericordie que Dominus in Evangelio (*cfr.* Mt 25,35-36) commemorat, scilicet satiare esurientem, potare sitiensem, vestire nudum, colligere hospitem, visitare infirmum et incarceratum. Que *ale* dicuntur quia ipsis ad regnum celeste sublevamur. Has alas qui non habuerint quomodo volabunt, cum sint audituri: «Discedite maledicti in ignem eternum»? (Mt 24,25). Vel sex ale sunt cognitio universorum sex diebus factorum; ex his enim visibilibus ad invisibilia cognoscenda perducimur. Vel sit prima ala lex naturalis, que fuit in Abraham et ceteris primis patribus; secunda lex Moysi; tertia prophetic; quarta Evangelium; quinta institutiones apostolorum; sexta canonica auctoritas sive doctrina catholicorum patrum, ut Augustini, Ieronimi et aliorum qui suis documentis Ecclesiam exererunt. Vel *se nas alas* habent animalia, quia ea tantum que in sex mundi etatibus peracta sunt vel aguntur, sancti mentis volatu comprehendere possunt. Hinc est quod in Isaia (*cfr.* Is 6,2) duo cherubin caput et pedes velare feruntur, quia sancti neque ea que fuerunt ante mundi constitutionem neque ea que post mundi finem futura sunt cognoscere possunt. *Et in circuitu et intus plena sunt oculis* quia et coram Deo irreprehensibilem vite sue regulam servant et bono exemplo proximis lucent. *In circuitu* quantum ad bonam operationem, *intus* quantum in cogitatione.

#### [Apc 4,10-11]

[57v] MAGISTER. Ad exemplum ergo quattuor animalium viginti quattuor seniores ante sedentem in throno procidunt et adorant, quia omnes electi ante omnium bonorum largitorem Deum, seipso humilantes, omne bonum suum ad ipsum referunt, dicentes: «Non nobis, Domine, non nobis, sed nomen

tuum da gloriam» (Ps 114,1). *Ante cuius thronum coronas suas mittunt*, quia, quicquid virtutis et fortitudinis habent, ipsi in secreto mentis sue tribuunt; a quo, ut vincere possent diabolum et temptationa sue carnis, acceperunt. Sic Domino Ierosolimam venienti turba<sup>18</sup> obviam venit, palmasque quibus victoria significatur ante eum prostravit (cfr. Io 12,13). Mittentes vero coronas dicunt: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem; gloriam* quia resurrexisti, *honorem* quia ascendens in celum sedes ad dexteram maiestatis, *virtutem* quia omnia subiecta sunt tibi, *quia tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant et creata sunt.*

#### «CAPUT V»

##### [Apc 5,6-7]

[61r] MAGISTER. Superius inducitur Christus ambulans, subinde sedens, modo stans. Quod sic intelligitur: *ambulat*, cum dilectis suis gratiarum munera dispensat, *sedet* quando singulorum facta diiudicat, *stat* cum suos certantes iuvat. Per cornua vero habemus omnes electos, per septem mundi etates natos, quibus, veluti cornibus, ventilantur inimici Christi. Per oculos septem dona Spiritus sancti, quibus, veluti oculis, temptationa mala precavet Ecclesia, de quibus Zacharias dicit: «Isti oculi Domini qui discurrunt in omnem terram» (Za 4,10). Vel per cornua et oculos Spiritus sanctus accipitur, qui dat regnum et exaltationem, quod notatur in cornibus, dat illuminationem, quod in oculis intelligitur. Vel cornua sunt sancti eminentiores, ipsi capiti Christo proxime adherentes et carnem excedentes, quibus Paulus dicit: «Vos in carne non estis, sed in spiritu» (Rm 8,9). Ac si diceret: Nequaquam ut cetera corporis ossa carne circundamini, sed, tamquam cornua, super carnem et ossa erigimini. *Et venit et accepit de dextera sedentis in throno librum*, quia Filius Dei per assumptam humanitatem ad cognitionem nostram veniens, non solum a divinitate Patris sed etiam a verbo sibi unito dispositionem nostre redemptionis accepit. Quem librum aperuit cum moriendo inimicitias carnis in sua carne soluit. *Et cum aperiuisset librum, quattuor animalia et viginti quattuor seniores ceciderunt coram Agno.*

##### [Apc 5,9-11]

[61v] MAGISTER<sup>19</sup>. Vel *canticum novum* est mandatum novum, caritatis scilicet a vetustate innovans; canticum dico de superna iocunditate celestis patrie mentem exhilarans. Quid autem dicant audiamus: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere librum* et cetera. Ac si dicant: ad comparationem victoriarum nostrarum tua sola iudicatur digna victoria, cuius singulari passione de mortis

18. turba correxi : turbe M

19. magiser in marg. M

principe a maledicto legis sumus redempti. Tu scilicet solus immunis a peccato, dignus es redemptionem nostram implere, quoniam occisus peccator non redemisset nos. Et additur causa quare dignus sit: *quoniam scilicet occisus es pro nobis et in tuo sanguine redemisti*, id est perfecte emisti nos Deo, id est ad honorem Dei; et non ex uno solo ordine, sed *ex omni tribu*. Et dicitur tribus a tribus ordinibus, scilicet militum, laborantium, sacrificantium; qui ordines continent LXXIIias linguas, quarum singule populos multos, populi vero nationes. Dicitur autem natio quando de populis aliqui moventur et incolunt novum locum. Non ergo ex uno populo Iudeorum, sed ex omni ordine, ex omni conditione gentium, ecclesiam colligere venisti. *Et sic redemptos fecisti nos regnum Domino nostro*, in quibus prius regnabat diabolus, *et sacerdotes*, id est nosmet ipsos hostiam sanctam Deo placentem exhibeamus et pro aliis oremus et vitia terrenitatis nostre superantes, in terra viventium regnabimus.

Quod hec visio tota spiritualis fuerit, hic manifestissime ostenditur. Neque enim vox videri solet, sed audiri. Sed videre hic positum est pro intelligere, sicut in Exodo dicitur: «Videbat populus voces Dei» (Ex 20,18), id est intelligebat. Dicit ergo Iohannes: Cum talem laudem cantarent Deo maiores in Ecclesia, *vidi et audivi*, id est adhuc manens in eadem visione, intellexi auribus cordis *vocem angelorum multorum*, id est subditos maiorum qui sunt minores in Ecclesia, angelos dictos, quia angelicam ducunt vitam, *qui erant in circuitu throni*, id est imitantes et honorantes Ecclesie maiores et in circuitu *animalium et seniorum*, id est predictoribus et iudicibus suis per imitationem bone vite ex omni parte adherentes.

[62r] MAGISTER. Non solum quippe sancti dant testimonium Christo, sed etiam angeli qui omni studio et affectione iuvant et custodiunt Ecclesiam, qui gaudentes de consortio reparato, testimonium proferunt de incarnatione Domini, de nativitate, de passione, de resurrectione, de ascensione, utpote qui in omnibus istis famulati sunt ei ipsumque testantur iudicem venturum. Sive autem de sanctis sive de angelis dicatur, innumerabilis ostenditur multitudo cum subditur: *Erat numerus eorum milia milium dicentium voce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem. Et omnem creaturam, que in celo est et que super terram et subtus terram et mare et que in mari.*

#### «CAPUT VI»

[Apc 5,14-6,1]

[63r] MAGISTER. Sancti in facies suas, id est ante se ubi vident, cadere dicuntur et adorare, quia, se nullius meriti reputantes, Deo se in conscientia humiliter subdunt; reprobi vero non ante sed retro ubi non vident cadunt,

quia in eterna damnatione corruunt. Sequitur: *et vidi quod aperuisset agnus unum de septem signaculis.* Postquam ostendit per agnum completam esse reparatiōnem generis humani, vult etiam annuntiare Ecclesie futuras tribulationes et contra ipsas auxilia et tandem coronas pro victoria, ut Ecclesia, tanto confusa suffragio, gaudens de promisso premio, patienter ac iocunde sustineat tribulationes. Per hec enim septem sigilla status Ecclesie ostenduntur, quorum in lege mysteria figurata erant. Primus est ab incarnatione Domini usque ad Spiritum paraclitum, secundus a Spiritu Sancto usque ad illud tempus quo Iudeis converti nolentibus dixerunt apostoli: «Ecce convertimus ad gentes» (Act 13,46), tertius conversio gentium, quartus quando conversi de Iudeis et gentibus ad hereticos tam de Iudeis quam de gentibus convertendos convenerunt, quintus in pace Ecclesie ubi nos sumus, sextus in tempore Antichristi, septimus in die quietis. Omnes istos status vel revelavit Deus, vel revelaturus est.

### [Apc 6,5-6]

[65r] MAGISTER. *Stateram*, id est modum nocendi a Deo constitutum, diabolus *in manu*, id est in malitia sua portat, quia non potest ledere quicquam, nisi iusto iudicio Dei et non quantum vult, sed quantum permittitur ei. Ecce enim dicitur ei: Tu sessor equi nigri, scito quia *bilibris tritici constat* michi *denario uno et tres bilibres ordei* similiter constant *denario*, et hos *ne lesaris*. Per triticum hi qui iugi attritione suavem panem ad refectionem Deo seipsos faciunt figurantur; per ordeum vero hi qui, licet minus suaves sunt, bene tamen operando panis refectionis Deo sunt. De utrisque enim, et perfectioribus et minus perfectis, Deus reficitur. Et de tritico dicitur habere *bilibres*, id est binas libras, quia de utroque populo, et Iudeo et gentili, unitatem perfectionis possidet. Et quia minus perfecti pluriores sunt, ideo de ordeo dicitur habere plures quam de tritico. Eorum tamen numerus aliquid mysticum signat: per tres enim fidem sancte Trinitatis eos habuisse demonstrat. Et triticum et ordeum comparatur uno denario, quia eodem pretio sanguinis Christi omnes eque redempti sunt. Vel ita: *Ne – inquit – lesaris ultra modum bilibres*, id est illos qui sunt libra, id est servantes precepta apostolorum per libram designatorum in qua sunt duodecim uncie. Et hoc quod sunt libra, est per hoc quod habent dilectionem Dei et proximi; que dilectio designatur per hoc quod bilibris dicuntur. Qui etiam triticum sunt, id est panis iocundus et refectio aliorum per predicationem suam, ideo *ne lesaris eos*, quia empti sunt denario, id est me ipso qui sum denarius, vel quia, cum servent doctrinam apostolorum, non servant pro terrenis, sed pro denario, id est ut possint me consequi qui sum denarius. Et etiam illos *ne lesaris*, qui sunt tres, id est fidem sancte Trinitatis habentes, et sunt *bilibres*, caritatis precepta servantes, sunt tamen *ordeum*, id est aliorum refectio, licet aspersa e inculta. Et etiam illos *ne lesaris*, qui sunt *vinum*, id est

ardentes in fide et alios calefacentes et inebriantes sua predicatione, et illos qui sunt *oleum*, id est caritativi. Triticum sunt perfectiores, qui, tribulacione attriti, igne excocti, sunt et Deo suavis cibus ac sine paleis. Ordeum vero sunt non adeo perfecti, in quibus licet valde sint triti, est tamen aliqua palea. Vinum sunt illi qui, in se ferventes, inebriant alios ad amorem spiritualem. Oleum vero sunt qui, pleni Spiritu sancto, orationi instantes, contemplationis degustant suavitatem. Consolemur ergo, quia ab horum lesionē virtus adversaria prohibetur.

### [Apc 6,9]

[66v] MAGISTER. Dicit ergo: *Cum aperuisset sygillum quintum*, id est cum statum quinte sancte Ecclesie, in Veteri Testamento sygillatum et clausum, reserasset, *vidi*, id est spiritualiter intellexi, *subtus altare*, id est sub Christi protectione, *animas intersectorum* aperto vel occulto martyrio, et hoc *propter verbum Dei*, id est quia precepta Dei in se adimpleverunt, *et propter testimoniū*, id est quia<sup>20</sup> aliis predicando divinitatem et humanitatem Christi testificati sunt.

### «CAPUT VII»

### [Apc 7,1]

[69r] MAGISTER. Vel istos quatuor angelos malignos spiritus intellige, inferentes quattuor principalia vitia, scilicet debilitatem, insipientiam, iniustiam et intemperantiam. *Tenentes*, id est prohibentes, *quattuor ventos*, id est quattuor virtutes, scilicet fortitudinem, prudentiam, iustitiam et temperantiam, *ne flarent super terram*, id est ne flatum alicuius religionis emitterent super eos, qui iam sunt terra, id est arabiles ad divinum semen suscipiendum, *neque super mare*, qui scilicet fluentes sunt et instabiles, *neque in ullam arborem*, id est super eos qui habent radicem fidei et terrene<sup>21</sup> persecutionis vento sunt agitabiles. Vel *terram* vocat habitantes in terra et terrenis deditos, *mare* habitantes in insulis vel diversis vitiis fluctuantes, *arborem* qui iam excrevit aliquantulum, qui scilicet fidem recepit et paratus est facere fructum. Maligni vero spiritus angeli dicuntur, sive propter dignitatem creationis, vel quia ad puniendos malos et probandos bonos destinantur. Descripto autem tanto bello Ecclesie, ne electi deficerent, confortantur, cum diabolus, paratus ubique nocere fidelibus, a Domino prohibetur.

20. quia] et a.c. add. M

21. terrene correxī : terrena M

## [Apc 7,4-5]

[70v] MAGISTER. Et notandum quod non solum audit beatus Iohannes illos qui predestinati sunt ad vitam esse signandos, verum etiam audit numerum signatorum filiorum Israel. Ideo autem<sup>22</sup> *audivit numerum signatorum* filiorum Israel qui predestinati sunt ad vitam, quia, quamvis superius defectionem eorum ostendimus, tamen multi eorum fideles inventi sunt. Quos sub numero ponit, ut ostendat cetum eorum multo minorem quam gentium quarum turbam postea videt sine numero. Sed si diligenter nominum interpretationem <attendimus><sup>23</sup>, in eis omnes electos communiter inveniemus. Non enim carnalem hic accipimus generationem, quod potest perpendi ex hoc quod non apponuntur secundum nativitatis ordinem: Iudas enim, qui hic primus ponitur, quarto loco natus est.

[71r] MAGISTER. Sciendum enim quod per centum quadraginta quattuor milia habemus omnes electos, quia omnibus electis convenit numerus iste, id est illud quod designatur per hunc numerum. Nam per centum, qui est perfectus numerus, habemus perfectionem virtutum; per quadraginta laboriosam abstinentiam iejuniorum; per quattuor observantiam quattuor Evangeliorum; per mille vero, qui perfectissimus est numerus, eterna beatitudo designatur. Et sic omnis electus debet habere illa premissa, scilicet perfectionem virtutum, abstinentiam iejuniorum, observantiam Evangeliorum, ut per hec tria tandem perveniat ad beatitudinem.

## [Apc 7,14]

[75r] MAGISTER. Non solum inquit *laverunt*, sed etiam *dealbaverunt*, id est ex toto sua corpora fecerunt alba innocentia et aliis bonis operibus. *In sanguine Agni*, id est in consideratione passionis Christi, ut sicut Christus sanguinem suum pro illis fudit, ita et ipsi, pro amore Christi carnalem vitam mortificantes, corpora sua dealbaverunt. Interrogatur autem Iohannes ut querat, querens audiat, audiens intelligat, intelligens ad imitandum intellecta se accingat. Denique ostenduntur ei amicti stolis albis, ut talem habitum taleque concupiscat indumentum. Requiritur etiam qui sint aut unde venerint, quantum, si vult in talium transire numerum, talis esse et inde venire satagat. Hi – inquit – qui amicti sunt stolis albis, numquid mundi amatores, numquid voluptatum suarum executores fuerunt? Numquid per latam et spatiosam viam ad tantam gloriam pervenerunt? Nequaquam, quia hec via dicit ad

22. autem bis repetitur a.c. in M

23. attendimus restitui iuxta ω<sup>g</sup> (tantum L, quia intendimus legitur in P<sup>4</sup>)

mortem, unde ergo venerunt? *Ex magna – inquit – tribulatione*, quia per multas tribulationes oportet vos introire regnum Dei (*cfr.* Act 14,22). Denique ipsum Christum quanto oportuit pati, ut sic intraret in gloriam suam? (*cfr.* Lc 24,26) Et de sanctis – inquit – quid dicit Apostolus?: «Sancti – inquit – ludi-bria et verbera experti, insuper et vincula et carceres; lapidati sunt, secti sunt, temptati sunt, in occisione gladii mortui sunt» (Hbr 11,36-37).

#### <CAPUT VIII>

##### [Apc 8,1]

[76r] MAGISTER. Silentium per totum hoc tempus potest intelligi quia, quamvis patientur sancti in corpore, saltim quietem habent in anima. Quod tamen silentium non hora integra, sed quasi dimidia fit, quia parva est hec requies ad comparationem future. Hucusque de apertione libri clausi et septem sigillorum.

#### EXPLICIT VISIO SECUNDA. INCIPIT TERTIA.

##### [Apc 8,2]

MAGISTER. In hac tertia visione agit de officio predicationis iniuncto septem angelis; qua predicatione ostendet fieri septem persecutions et plagas mortales reproborum. Neque hic deviat ab intentione, sed multum hortatur et animat eos qui sunt in Ecclesia ut patienter tribulationes sustineant; aliter enim extra Ecclesiam fient et plagis reproborum percutientur. Agit etiam de illis quibus revelata sunt sigilla: quod non debeant predicare nisi elegantur a Deo et ab Ecclesia et quod prelati debeant predicare subditis. Et ita ingreditur: postquam intellexi superiora, *vidi septem angelos*, id est omnes predicatores huius seculi, quod per septem dies volvitur, vel septiformi Spiritu illuminatos, *stantes*, id est paratos ad suum officium faciendum, et hoc *in conspectu*, id est beneplacito, *Dei*; vel quod ipsi Deum per bona opera conspiciant et Deus illos. Et ita stantibus illis in conspectu Dei, *date sunt illis septem tube*, id est commissum est illis officium predicationis a Deo inspirante et Ecclesia concordante. Tube sunt predicatores, quia nos excitant ad spirituales pugnas.

##### [Apc 8,3-5]

[77v] MAGISTER. Possunt et per thuribulum<sup>24</sup> corda fidelium<sup>25</sup> designari. Quod bene *aureum* fuisse dicitur, quia corda sanctorum et per fidem sunt puri-

24. thuribulum] thurribulum *a.c.* M

25. fidelium] fida- *a.c.* M

ficata et per sapientiam inaurata. Quod etiam angelus in manu tenere dicitur, quia sicut ait Salomon: «Cor regis in manu Dei est et quocumque voluerit inclinabit illud» (Prv 21,1). De hoc thuribulo, sancti Spiritus igne repleto, ascendit cotidie in conspectu Dei fumus aromatum, id est devotio orationum et fraglantia bonorum operum. Qui fumus de manu angeli ascendere dicitur, quia et ut bene operemur et ut sicut oportet oremus, divina nos gratia pervernit. Subsequitur: *Et accepit angelus thuribulum et implevit illud de igne altaris et misit in terram, et facta sunt tonitrua et voces et fulgura et terremotus.* Sicut supradictum est, thuribulum est corpus dominicum, plenum bullitione persecutionum et odor virtutum, quod scilicet non semper Christus habuit sed accepit, quando non nostris meritis, sed sua gratuita pietate pro nobis incarnari dispositus. Et postquam assumpsit humanitatem implevit illam *de igne altaris*, id est de Spiritu sancto, qui est ignis Ecclesie, incendens eam ad virtutes et comburens in ea vitia.

MAGISTER. Et nota quod dicitur: *implevit illud de igne altari*, quia non de alio spiritu<sup>26</sup>, sed ex eo quo impleta est Ecclesia Christus suum replevit corpus. Non enim ad mensuram plenitudinem Spiritus sancti habuit, sicut ceteri homines. Et eundem Spiritum quem ipse acceperat *misit in terram*, id est in corda apostolorum et aliorum fidelium, qui prius erant terreni. Unde et dicebat: «Ignem veni mittere in terram» (Lc 12,49). Et bene *in terram*, ut enim gratiam Spiritus sancti fideles in se conservent, humilia de se sentiunt et vomere divini verbi iugiter excoluntur. Vide ergo, si gratia sancti Spiritus impleri desideras, ut terra sis, id est humilis. Terra – inquit – bona et fertilis afferens fructum in patientia. Non sis terra salsa et sterilis, id est durus et rebellis, quia, ut dicit quidam sapiens, «salsa tellus et que perhibetur amara infelix est frugibus» (Ver., *Georg.* II 238-9).

[Apc 8,7]

[79v] MAGISTER. Quia per grandinem, id est vehementem predicationem, facta est vitiorum contusio, factus est ignis, id est invidia de infidelibus habita ad predicatorum qui in eos vitia contundebant. Ignis – dico – mixtus sanguine, id est sanguinis effusione. Multi enim predicatorum per invidiam imperfecti sunt. Vel per grandinem et ignem pena reproborum intelligitur, qui ut scriptum est «Ab aquis nivium transibunt ad calorem nimium» (Iob 24,19). Per sanguinem vero ipsa mors anime spiritualis intelligitur. Hec predicavit primus angelus.

26. spiritu bis repetitur a.c. in M

## [Apc 8,10-12]

[80v] MAGISTER. In tertio statu Ecclesie, postquam diabolus Iudeos et gentes ad Deum conversos execare non potuit, seminavit hereses et sic aliquos pervertit. Sed tertio angelo tuba canente, id est Ecclesia per se omnes doctores predicante, «inimicus homo» (Mt 13,28), seminator zizaniorum, id est diabolus qui dicitur stella secundum creationem, cui dicit Ysaias: «Quomodo cecidisti de celo Lucifer, qui mane oriebaris?» (Is 14,12), cecidit *de celo*, id est pellitur de Ecclesia. *Ardens* – inquit – *tamquam facula*, id est cum strepitu persecutionis emittens fumum infidelitatis. Vel tamquam facula ardere dicitur, quia sicut facula ardet et consumitur, ita diabolus qui semper ardet invidia, tandem consumetur, scilicet cum potestatem non habebit, sed torquebitur cum impiis.

[81r] MAGISTER. In omnibus scriptis sunt duo sensus, historicus et allegoricus. Tercius vero est cum hereses inducuntur. Hunc tertium sensum diabolus qui se transfigurat in angelum lucis seminare solet in Scripturis (*cfr.* II Cor 11,14). Sequitur: *Et quartus angelus tuba cecinit, et percussa est tercia pars solis et tercia pars lune et tercia pars stellarum, ita ut obcuraretur tercia pars eorum et diei non luceret pars tercia et noctis similiter.* Quartus angelus dicitur ordine narrationis vel etiam re ipsa, quoniam, cum diabolus non posset execare omnes Iudeos vel gentes et hereses seminasset, tandem filios Ecclesie aggressus est expugnare et quosdam inde subtraxit, tam de maioribus quam de minoribus.

[81v] MAGISTER. Tertia pars diei et tercia pars noctis, que obscurata est, sunt observatores<sup>27</sup> veteris et nove legis, qui neque ad activam neque ad contemplativam vitam pertinent. Per diem enim qui illuminatur a sole, Evangelium, quod ab ipso Christo predicatum est, intelligitur; per noctem vero, que a luna et stellis illuminatur, que sunt minora luminaria, lex que a Moyse et prophetis predicata<sup>28</sup> est.

## [Apc 8,13]

[82r] MAGISTER. Vox istius aquile est vox cuiuslibet prudentissimi doctoris Scripturas subtiliter attendentis. Sancti quippe predicatorum aquile dicuntur, qui et alte volant pennati virtutibus et perspicaciter intuentur archana Scripturarum. *Per medium celum* volant, quia per Ecclesiam discurrere non cessant. Ecclesia quippe celum dicitur, quia celat in se secreta Dei. *Voce magna* predicanter, quia in toto mundo magnum quid annuntiant. Sed quid dicit

27. observatores] -ores *p.r.* M

28. predicata] *prepidicata a.c.* M

aquila? *Ve ve ve.* Numquid his quorum conversatio in celis est? (cfr. Phil 3,20) Nequaquam, beati enim sunt. Et cum Apostolo confidenter dicit: «Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum» (Phil 3,20). Quibus igitur *ve?* Habitantibus in terra, id est qui radicem cordis terrenis infixerunt, qui pro terrenis litigant et in eis implicantur, qui pro temporalibus eterna, pro caducis manentia, celestia pro terrenis obliviscuntur. Istis *ve* predicatorum non unum sed trinum: *Ve* a morte inevitabili, *ve* a iudicio irretractabili, *ve* a pena intolerabili<sup>29</sup>.

#### «CAPUT IX»

##### [Apc 9,3]

[83v] MAGISTER. Vel per solem intelligitur lex et per aerem Ecclesia, quia sicut aer illuminatur a sole, sic Ecclesia a divina pagina. *Et exierunt locuste in terram*, id est discipuli hereticorum qui bene locuste comparantur, quia sicut locuste volare nituntur nec possunt sed saliunt et statim recidunt, nec super terram incedere possunt et viridia corrodunt, ita et isti nec per intellectum spiritualem in altum volant, nec per bonam operationem firmiter incedunt, sed superbia saliunt et in peius recidunt et sunt corrosores bonorum. Dicuntur etiam per antifrasim locuste quasi loco stantes, quod minime faciunt, ita et heretici nunc hoc nunc illo modo decipiunt, et sicut locuste corrodunt messes, ita heretici Ecclesiam Dei. Et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terre, quia sicut scorpio facie blandus est et cauda percutitur, ita heretici bonas sententias pretendunt ut facilius decipient, deinde pessimas inducendo necant. Potestas enim nocendi scorpioni in cauda est et per hanc venena diffundit. Et quamvis habeant hanc potestatem, tamen non desperant qui confidunt in Domino et veri Christiani sunt, quia ecce auxilium quod dat Deus suis contra istos.

[85v] MAGISTER. Scorpioni bene comparantur, quia sicut ille blandus facie cauda pungit occulte, ita perversi decipiunt per hec temporalia, persuadendo hec esse optima et ad vitam sufficientia, que sunt ultima et vilia et omnino posthabenda. Vel ideo scorpioni comparantur, quia sicut cum scorpius pungit non sentitur sed paulatim venenum diffunditur et urit, sic decepti temporalibus deliciis, prius non sentiunt sed postea perimuntur. Vel sicut scorpius in cauda nocent, id est potentia seculari vel minis quoslibet frangentes vel commodis blandientes. *Et in diebus illis querent homines mortem et non invenient eam, et desiderabunt mori et fugiet mors ab ipsis.* Misera scilicet vitam cita morte finiri cupientes, ne forte decipientur, sicut beatus Cyprianus sub deciana tempes-

29. intolerabili] intollerabili a.c. M

tate contigisse conquestus est: «Volentibus – inquit – mori non permittebatur occidi».

[Apc 9,13-16]

[87r] MAGISTER. Altare significat Ecclesiam, de qua fumus compunctionis ad Deum dirigitur, que altare aureum dicitur, quia eterna sapientia illustratur. Ante oculos Domini stare dicitur, quia «oculi Domini super iustos» (I Pt 3,12). Per quatuor cornua huius altaris habemus omnes predicatorum evangelica doctrina eruditos. Et unum cornu hic specialiter intelligitur caput electorum, precipiens sexto angelo, id est omni Ecclesie, ut solvat quattuor angelos qui nunc in Eufrate ligati sunt. Eufrates secularem potentiam significat, in qua maxime diabolus habitat. Optat itaque vox ista malignis spiritibus permetti possibilitatem nocendi fidelibus, ut qui iustus est iustificetur adhuc (*cfr.* Apc 22,11) et appareant qui sunt Dei. Et ideo dicit *solve*, id est *predica*, et sic illos qui quattuor principalia vitia Ecclesie suggerunt, id est ministros diaboli, solutos reddes, quorum voluntas, tota in destructione Ecclesie posita, taciturnitate predicationis tue hucusque retenta est. Vel *solve*, id est dic quomodo solvendi sunt, ut caveant sibi electi. Alligati enim modo sunt demones invisibili et incomprehensibili potentia Dei, ex quo Dominus veniens potestatem eis abstulit. Quod si modo ligati tantum seviant, quantum sevient quando soluti erunt? Vel ita: due civitates contrarie dicuntur Ierusalem et Babilonia. Babilonia que est confusio, diaboli mansio dicitur, Ierusalem Christi. Apud Babilonem est fluvius Eufrates realiter per quem significatur mundani principes, vitiis fluctuantes et voluptatibus inundantes, in quibus dicitur ligatus diabolus, dum per eos latenter operatur, solvit autem in eis, dum per eos manifeste operatur. Et sicut sextus angelus precepit, sic implebitur. Nam sequitur: *Et soluti sunt quattuor angeli qui parati sunt in horam et diem et mensem et annum ut occidant terciam partem hominum. Soluti sunt*, id est solventur demones impugnatores Evangeliorum in quattuor partibus mundi, *qui parati erant*, id est ad hoc preparabant arma nequitie sue omni tempore regni sui; quod notatur ubi dicit *in horam et diem et mensem et annum*. In quibus vocabulis quidam volunt intelligere tres annos et dimidium, in quibus seviet Antichristus. Vel ita parati sunt semper demones homines spiritualiter necare et in pueritia et in iuventute et in senectute et in decrepita etate: quod notatur *per horam et diem et mensem et annum*. Sive per hoc demonum notatur improbitas, qui tanta nequitia grassantur in animas perimendas, ut nec ad horam quiescant a malitia sua. Et ad hoc parati sunt, *ut occidant in anima terciam partem hominum*, id est illos qui sunt tercia pars Ecclesie, qui neutre vite student, nec active nec contemplative, qui nec de bonis doctoribus sunt nec de bonis auditoribus. Vel possumus dicere *terciam partem hominum* qui segregati sunt a

Iudeis et paganis per fidem sancte Trinitatis, quia hos fortius aggreditur diabolus, ut a sancta fide deiciat. Sequitur: *Et numerus equestris exercitus vicies milies dena milia audivi numerum eorum.* Equestris exercitus dicitur, quia in subiectis sibi malis hominibus maligni spiritus portantur in prelum contra fideles magno impetu, sicut equites in equis suis.

«CAPUT X»

[Apc 9,18-10,3]

[9ov] MAGISTER. *Et clamavit voce magna quemadmodum cum leo rugit.* Voce magna clamavit Christus, id est predicatione terrente bestiales mentes hominum, dicendo per Evangelium: «Genimina viperarum! Quis vobis demonstravit fugere a ventura ira?» (Mt 3,7; Lc 3,7) et «omnis arbor que non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur» (Mt 7,19). Clamavit autem quemadmodum cum leo rugit, id est sicut leo rugiens omnia animalia terret, sic Christi predicatione mortem eternam et terribilem ultimi iudicii omnibus annuntiabit; quam audient reprobi cum eis dicet: «Ite maledicti in ignem eternum, qui paratus est diabolo et angelis eius» (Mt 25,41). Vel sicut nulla fera audet circuitum leonis transgredi, sed remanet in silva, auditu rugitu eius, ita quisque fidelis, conclusus fide, remanet in Ecclesia, auditu quid Deus minetur exeuntibus. Quodque fecit Christus fecerunt et eius apostoli, eterna tormenta peccatoribus predicando et feroce homines ad fidem illius convertendo. Unde<sup>30</sup> subditur: *Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.* Quod est dicere: Universi predicatores Ecclesie et qui dicuntur *septem* quia annuntiant fidem sancte Trinitatis et quattuor Evangelia, et *tonitrua*, quia terrent mentes hominum a via mala, cum ipse Christus primitus predicasset, dederunt predicationes suas. Que voces bene dicuntur sue, quia nichil aliud predicaverunt ore, quam quod impleverunt opere. Predicator enim non solum verbo, sed et exemplo bone vite debet aliis presesse, sicut dicit beatus Gregorius: Restat ut cuius vita contemnitur, etiam sermo predicationis contemptibilis habeatur.

[9iv] MAGISTER. Hic Iohannes per suam personam ubi scribere prohibetur, significat nobis quod tempore Antichristi predicatione cessabit. Volentes enim sancti ex precedentium imitatione publice predicare, intelligent infructuosam esse predicationem et potius tempore illo conculcandum esse Verbum Dei et despectui habendum. Erit enim tempore illo destructio contraria edificationi Christi, quia sicut Christus caput est predicationis et totius bonitatis, ita Antichristus caput erit totius malicie et extinctionis Verbi Dei. Contra quam

30. unde] et add. et post del. M

tribulationem, ponit eis consolationem, scilicet quia Christus promittit suis quod eis amplius non erit tempus, id est quia carebunt omni mutabilitate. Et ut securos faciat premitt quasi argumenta exemplum sui, quia assumptus in celum iam est immortalis et quia iurat eis hanc stabilitatem *per viventem in secula seculorum*.

#### «CAPUT XI»

[Apc 11,1]

[93v] MAGISTER. Calamus similis virge doctrinam Evangelii correctoriam significat: «Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum» (Mt 4,17). Qui calamus bene virge recte comparatur, quia Scriptura sacra et recte facit vivere et perducit ad regnum celeste. Virga enim regiam dignitatem significat. Audiant igitur quibus hec virga porrigitur et super populum Dei rectores constituuntur, qui se ipsos et alios ad regnum celeste perducere iubentur. *Surge – inquit – et metire templum Dei.* *Surge*, videlicet ad predicationis officium et noli iacere in imis vitiorum. *Surge* a quiete contemplationis in qua suaviter delectaris et ad activam vitam evigilans *metire templum Dei*, secundum quod unicuique convenire scis. Predica illis qui sunt altare, id est perfectiores, qui se ipsos et vota aliorum in ara cordis Deo cotidie offerunt, sicut monachi et heremite. Predica et minus perfectis qui designantur per adorantes in templo, sicut sunt boni coniugati et simplices in Ecclesia rustici. His omnibus predica, quia Dominus habitat in illis. *Atrium autem*, id est illos qui sunt sine tritura passionum Christi et videntur esse in Ecclesia propter fidem, sed foris sunt per operationem ut mali Christiani, *eice foras* excommunicando eos. *Et ne metiaris illud*, id est ne predices illis, quoniam male vivendo facti sunt conformes gentibus. Sed templum et altare et adorantes in eo metire, id est predica unicuique secundum suam capacitatem, ut facias eos templum Dei, sicut ille qui vult templum<sup>31</sup> fundare metitur, iaciens fundamentum et latitudinem et longitudinem.

[94v] MAGISTER. Et ut presentem confortet Ecclesiam, ne propter persecutionem, que quidem adhuc levis est, desistat a predicatione, dicit quod in tempore illius sevissime persecutionis predicabunt Helyas et Enoch, unde sequitur: *Et dabo duobus testibus meis.* Quid? Librum de quo superius dixerat: *Vade et accipe librum de manu angeli* (Apc 10,8), per quem significatur predicationis officium. Unde sequitur: *et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* Hi duo testes sunt Helyas et Enoch, qui modo in requie reservati adhuc occidentur ab Antichristo pro nomine Christi. De quibus Dominus per

<sup>31</sup>. templum] dei *add. et post del.* M

Malachiam dicit: «Ecce ego mitto vobis Enoch et Helyam, ut convertant corda patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum» (Mal 4,5). Isti venientes *prophetabunt*, id est *predicabunt*, quia prophetare aliquando ponitur pro predicare, et hoc diebus mille ducentis quadraginta qui iuncti faciunt annos tres et dimidium.

[Apc 11,4]

[95r] MAGISTER. Non inquit ut superbi estimant: licet saccis operiantur, contemptibles sunt. Sed comparabiles olivis: oleum indulgentie ad refectionem animarum subministrant. *Hi sunt due olive*, id est pingues et fertiles Spiritu sapientie. Oliva plena est suco et isti pleni sunt Spiritu sancto, et sunt *candelabra lucentia*, id est comportatores et sustentatores veri luminis, proximisque lumen veritatis ostendunt et exemplo et predicatione. *In conspectu Domini terre stant*, id est in beneplacito Christi qui est Dominus Ecclesie que est terra bona, ad ipsius voluntatem exequendam perseverant. Vel in conspectu Domini terre stare dicuntur, quia Helyas et Enoch voluntati Antichristi, qui Dominus terre videbitur, resistant.

[97r] MAGISTER. Sanctorum corporibus cum tanto dedecore projectis gaudebunt impii et iocundabuntur et munera mittent invicem, id est epistolas que pro magno munere tunc computabuntur, annuntiantes illos prohibidores leticie tam turpiter esse projectos, tamquam dicentes: Videte ne sitis conformes illis qui sic modo iacent inhumati. *Qui cruciaverunt habitantes super terram*, id est qui cruciatus sempiternos minabantur vobis. Sed nemo diu gaudet qui iudice vincit iniquo. Nam cum dixerint: «pax et securitas», tunc repentinus eis superveniet interitus (I Th 5,3). Unde apte subiungitur: *Et post dies tres et dimidium spiritus vite a Deo intravit in eis et steterunt super pedes suos et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de celo dicentem: Ascendite huc; et ascenderunt in celum in nube et viderunt illos inimici eorum.*

[Apc 11,13]

[97v] MAGISTER. Quomodo verum est quod dicit Apostolus: «Nos qui vivimus, qui residui sumus, simul rapiemur obviam Christo in aera» (I Th 4,17), cum primo homini et in illo omnibus dictum sit: «Terra es et in terram ibis» (Gn 3,19)? Sed, ut ait Augustinus, in ipso raptu nubium etsi momentaneam mortem tamen gustabunt omnes. In terram ergo revertentur, quia hoc est corpus in terram reverti, quod est, exeunte anima, remanere corpus, quod utique terra est. *Et in illa hora factus est terremotus magnus et decima pars civitatis decidit et occisa sunt in terremotu nomina hominum septem milia et reliqui in timore dimissi sunt et dederunt gloriam Deo celi.* In glorificatione scilicet sanctorum turbabun-

tur terreni, qui terrenitati sue servierunt, quia carebunt gloria quam sancti precipiunt. Sive terremotus est conversio Iudeorum.

[98r] MAGISTER. Nota quod tertium ve non erit sanctorum sicut duo premissa, sed reproborum. Nam gloria et remuneratio bonorum, quam videbunt impii, erit eis *ve*, id est luctus et mortalis dolor. Septima quippe tuba, que hic sequitur, eterni sabbati nuncia est, requiemque sanctorum et victoriam et imperium veri regis indicat. Quod videntes impii turbabuntur timore horribili, videntes se damnari, sanctos autem gloria et honore coronari, dicent quod «isti sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improprii. Nos insensati vitam illorum estimabamus insaniam et finem sine honore, sed ecce quomodo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est» (Sap 5,3-5).

### [Apc 11,14]

*Et septimus angelus tuba cecinit et facte sunt voces magne in celo dicentes: Factum est regnum huius mundi Domini nostri et Christi eius et regnabit in secula seculorum. Et vigintiquattuor seniores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis cederunt in facies suas et adoraverunt Deum dicentes: Gratias tibi agimus, Domine Deus omnipotens, qui es et qui eras et qui accepisti virtutem tuam magnam et regnasti. Et irate sunt gentes et advenit ira tua, tempus mortuorum iudicare et reddere mercedem servis tuis prophetis et sanctis et timentibus nomen tuum pusillis et magnis, et exterminandi eos qui corruerunt terram.* MAGISTER. Tercium ve dixerat in voce septimi angelii venturum, et ecce non nisi Ecclesiam dicit laudantem Deum et gratias agentem, unde intelligimus bonorum retributionem non esse nisi ve malorum.

### EXPLICIT VISIO TERCIA. INCIPIT QUARTA.

[99v] MAGISTER. Hactenus de septem angelis tuba canentibus egit, nunc in hac quarta visione recapitulat a nativitate Domini, eadem aliter ac latius dicaturus. Agitur etiam de pugna Ecclesie et diaboli et ostenditur quibus auxiliis vincatur diabolus, unde fideles maxime debent animari ne ab Ecclesia receendant. Et antequam tractet de hac visione, premittit aliquid de secunda, scilicet de revelatione mysteriorum, et de tercia, scilicet de officio predicationis impleto per septem angelos, et hec visio pendet ex illis.

### [Apc 11,19-12,1]

#### «CAPUT XII»

[100r] MAGISTER. Possumus et per templum Dei beatam Mariam intelligere, per archam vero Testamenti Christum, qui ex ea carnem suscepit. Templum autem Dei non ideo apertum dicitur, quod uterus beate Marie in parien-

do Deum sit apertus; que fuit ante partum virgo et post partum virgo permanit. Sed ideo apertum dicitur, quia per ipsam visibilis nobis factus est Dominus noster Iesus Christus. *Et signum magnum apparuit in celo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim, et in utero habens clamabat parturiens et cruciatur ut pariat.*

[100V] MAGISTER. *Luna sub pedibus eius*, id est sustentatur quidem terrenis, sed non apponit cor, immo contemptui ea habet. *Et in capite eius corona stellarum duodecim*, id est in mente ad exemplum sibi proponit passiones et victorias apostolorum.

### [Apc 12,2]

[101R] MAGISTER. *Mulier habens in utero* est Ecclesia, Verbum Dei quasi in utero portans in memoria. Et quia plena erat Verbo Dei, *clamabat parturiens*, id est predicabat, aliquos Deo parere volens. *Et cruciabatur*, id est multas angustias pertulit, *ut aliquos ad fidem Dei pariat*, vel cruciatur in seipsa, quia non potest parere quoscumque vult, vel affligit se ipsam ut quod aliis predicat opere impleat.

### [Apc 12,3]

[101V] MAGISTER. Et quid sunt decem cornua, nisi divitie et pompa secularis quibus potentes decalogum impugnant? Et quid est in unoquoque capite suum diadema, nisi gloria de prevaricatione uniuscuiusque precepti, cum gloriantur quod ad libitum male faciunt et exultant in rebus pessimis? Ideo autem dicit hunc draconem se vidisse in celo, ut ostendat diabolum semper adesse propinquum ad Ecclesiam impugnandam, quia, si diceret eum in inferno apparuisse, non videretur ratio quod posset cum Ecclesia pugnare quam in celo viderat. Qui draco *magnus* dicitur propter multiplicatatem insidarum, *rufus* propter effusionem sanguinis animarum. Quid vero per caudam draconis intelligimus, nisi miracula que faciet Antichristus quibus occultabit malitiam suam, sicut caude pecorum posteriora contegunt? Per hec miracula, quasi per caudam, trahet *terciam partem stellarum in terram*, id est reprobos neque active neque contemplative vite deditos, qui quasi lucere videntur in Ecclesia propter solam oris confessionem, terrenis studiis et desideriis involvet. Sed et cotidie hec stellarum deiectio fit, cum qui videbantur studio celibes, terrena iniuritate involvuntur, ut videlicet per apertum errorem appareant tenebre, qui per simulationem lucem se esse fingebant; et tales iam foris appareant, quales apud semet ipsos in divino iudicio parere non formidabant. Sive per caudam pravos doctores intellige, quia ut scriptum est: «Propheta docens mendacium ipse est cauda» (Is 9,15).

## [Apc 12,6]

[103r] MAGISTER. Confidenter ergo incipiat Ecclesia pugnare pro Christo, secura de sua resurrectione cum vicerit. Volo – inquit – Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus (Io 12,26). Verum dum adhuc manemus in corpore et peregrinamus a Domino, quid nobis agendum est? Sequitur: *et mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum a Deo ut ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta. Solitudinem contemptum vocat huius mundi, qui bene solitudo dicitur, quia homines solos et privatos a vitiis reddit. Ubi, id est in quo contemptu mundi, omnis fidelis anima habet locum paratum a Deo, id est hanc securitatem Deus in hoc mundo preparat suis fidelibus, ut ibi, id est in hac solitudine vitiorum constitutam, pascant sancti doctores de illo pane verbi Dei, qui datus fuit nobis a Domino diebus mille trecentis quadraginta, id est in Evangelio quod Dominus predicavit annis tribus et dimidio.*

## [Apc 12,7-10]

[104v] MAGISTER. Draco dicitur propter truculentiam, *magnus* propter violentiam, *serpens* propter calliditatem, *antiquus* propter primam seductionem vel quia inveteratus est in nequitia, a quo debemus cavere omnes. *Quia vocatur diabolus*, id est deorsum ruens, *et Sathanas*, id est adversarius vel seductor, quia quos seducere potest et Christo adversarios reddit et secum ruere facit. *Qui seducit universum orbem*, id est quantum in ipso est, omnes a veritate seorsum ducere cupit; vel a toto partem intellige dici. *Projectus est autem de celo in terram*, id est de cordibus electorum in cordibus terrena querentium. Et quia sic expulsus est ab Ecclesia diabolus et angeli eius, ideo apte subiungitur: *Et audi vi vocem magnam in celo dicentem: Nunc facta est salus et virtus et regnum Domini nostri et potestas Christi eius, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte, et ipsi vicerunt illum propter sanguinem agni et propter verbum testimonii sui. Et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea letamini celi et qui habitatis in eis. Numquid non hec vox est in celo gaudii et exultationis magne de victoria Ecclesie, gaudii – inquam – angelorum nostre saluti congaudentium?* Hoc canticum leticie sollemniter in die iudicii cantabitur cum omne corpus diaboli fuerit precipitatum.

## [Apc 12,12]

[105r] MAGISTER. *Celi* sunt contemplativi, celibem vitam agentes, *qui habitant in eis* sunt activi, contemplativis innitentes. Hi gratias agere et exultare divinitus admonentur<sup>32</sup>, quia projectus est diabolus ab eis. Quid vero malis

<sup>32</sup>. admonentur] admonennentur M

dicitur? *Ve terre et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habeat.* Quia sic projectus est a bonis, ideo vobis ve in quibus cecidit, quia sic iam adhærebit, ut ultra nequeat separari. Habet enim iram magnam, videns multa sibi subtrahi et unde magis insanit, sciens penam sibi esse vicinam et diem iudicii. Per terram accipe stabiles in eodem vitio, per mare in diversis fluctuantes; vel per terram Iudeos, qui propter terrena, ne scilicet amitterent locum et gentem, crucifixerunt Christum, per mare vero gentiles, estuantes rabie persecutionum.

[Apc 12,14-16]

[105v] MAGISTER. Numquam cessat diabolus a voluntate lesionis, sed cum videt se per occultam fraudem non posse proficere, aggreditur aperte impugnare, sed non prevalet propter illum fortem masculum de quo dicitur: «Dominus fortis et potens» (Ps 23,8), qui secundum carnem est filius Marie, mystice vero filius Ecclesie; a quo adiuvatur et in occulta pugna et in aperta persecutione. Ecclesia autem mulier dicitur, non propter animi molliciem, sed propter spiritualium filiorum generationem, que anulo fidei subarrata dicitur (cfr. Os 2,21-22), sponsa Christi ei iugiter inherendo efficitur et mater predicando. Tociens enim parit Christum, quotiens officio predicationis membra eius, que nos sumus (cfr. I Cor 12,27), ad fidem et operationem informat. Et quomodo hic adiuvatur Ecclesia a Christo ut secura sit a facie serpentis? *Et date sunt – inquit – mulieri due ale aquile, ut volaret in desertum.* He ale sunt observatio duorum Testamentorum vel gemina dilectio vel due vite, activa scilicet et contemplativa. His alis volare potest *in desertum*, id est in celum, ut scilicet mente in celestibus habitat quelibet fidelis anima, cui per gratiam Dei tribuitur ut possit terrena despiceret et amare celestia. Non enim dicitur quod haberet mulier alas, sed *date sunt ei*, quia nimirum cor a terrenis separare et ad celestia levare donum Dei est. Que ale bene aquile dicuntur, quia sancti, quorum iuventus renovatur<sup>33</sup>, ut aquile in altum volant, scilicet usque ad ipsum Deum, ipsumque iusticie solem (cfr. Mal 4,2) irreverberatis conscientie oculis intuentur. *Ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis*, id est Ecclesia, a terrenis desideriis remota, mentis despectu mundum cum suo flore calcans, in hac securitate alitur a sanctis predictoribus illo pane celesti, quem ipse verus panis Christus per tres annos et dimidium predicando composit. Et hoc *a facie serpentis*, quia, evangelicis documentis instructa, diabolicas insidias evadit. Sequitur: *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tamquam flumen ut eam faceret trahi a flumine.* Et adiuvit terra mulierem et aperuit terra os suum et adsorbuit flumen quod misit draco de ore suo. Possunt per hoc flumen secularia et

33. renovatur *p.c.* renovabitur *a.c.* M

carnalia desideria intelligi, que cotidie venenata persuasione diaboli quasi ex ore draconis seculo renuntiantibus ingeruntur. Sed nichil proficiet inimicus in electis, nam *terra*, id est sola terrena diligentes, hoc flumen excipiunt; sancti vero de virtute in virtutem proficiunt (*cfr.* Ps 83,8). Vel terra Christum significat, qui pro nobis carnem de terra suscepit. Os vero Christi, quod draconis flumen absorbuit, omnipotentiam divinitatis eius appellat sive inspirationem illam qua inspirantur fideles ut vilipendant carnales delectationes.

### [Apc 12,17]

[107r] MAGISTER. Licet non possit superare diabolus, numquam tamen cessat invidere, unde bene subiungitur: *Et iratus est draco in mulierem et abiit facere prelum cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei et habent testimonium Iesu, et stetit super barenam maris.* Quasi diceret: Christus Ecclesiam iuvit, ut non proficeret diabolus in his qui omnia relinquunt et in solitudinem fugiunt. *Et abiit facere prelum cum reliquis de semine eius,* id est cum minoribus, qui licet non sint tante perfectionis, ut omnia possint relinquere, tamen sunt de eodem semine, quia sunt renati eadem fide, qui tamen pro posse suo custodiunt mandata Dei bene operando, *et habent testimonium Iesu,* id est fidem passionis illius retinent corde et ornant opere. Et in his minoribus nichil proficiens, *stetit super arenam maris,* id est invenit requiem in fluctuosis hominibus, qui arene nullum fructum ferenti assimilantur et sunt mare, id est Deum amaricantes. In petra quidem vestigia nulla serpens imprimit, quia in sanctorum cordibus, que voluptates nulle emolliunt, locum diabolus non invenit. At contra, in arena gressum figit, quia mentes suas humor carnis concupiscentie emollit nec caritatis vinculo sunt alligate inhabitat, in quibus etiam sua vestigia patenter apparent.

### «CAPUT XIII»

### [Apc 13,9-12]

[109v] MAGISTER. Et ne quis, tantam potestatem Antichristi audiens, perhorrescat, addit<sup>34</sup> consolationem, dicens: Nolite timere fideles, sed *si quis* vestrūm *habet aures,* id est intellectum spirituale, *audiat* de potestate Antichristi maximam vindictam. *Nam qui in captivitatem duxerit, in captivitatem ibit.* Antichristus scilicet et discipuli eius, qui homines et a fide Christi et ab electorum societate abduxerunt, perpetuo captivitatis exilio in inferno damnabuntur. *Et qui in gladio occiderit*<sup>35</sup>, *oportet eum gladio occidi,* id est Antichristum,

34. addit correi : audit M

35. occiderit inter lin. M

qui corpora sanctorum gladio materiali et animas eorum quos seduxit gladio male persuasionis occidit, Dominus Iesus interficiet; et spiritu oris sui et eius sociis dicetur: «Ite maledicti in ignem eternum et cetera» (cfr. Mt 25,41). *Hic est patientia et fides sanctorum.* *Hic*, id est hac consideratione perditionis impiorum vel quod non diu durabit tribulatio iustorum, *est fides et patientia sanctorum*, id est non debent timere pati qui sunt sancti, quia hac fide certificantur quod post breves labores corona beatitudinis eterne remunerabuntur. Sequitur: *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra et habebat duo cornua similia agni, et loquebatur sicut draco, et potestatem prioris bestie omnem faciebat in conspectu eius, et fecit terram et inhabitantes eam adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis.* Descripta tribulatione que fiet per Antichristum, subiungit aliam que per apostolos eius fiet.

[Apc 13,16-18]

[111r] MAGISTER. *Et faciet omnes pusillos et magnos, divites et pauperes, liberos et servos, habere caracterem in dextera manu aut in frontibus suis, et ne quis possit emere vel vendere, nisi qui habet caracterem nominis bestie aut numerum nominis eius. Hic sapientia est. Qui habet intellectum computet numerum bestie. Numerus enim hominis est et numerus eius sexenti sexaginta sex.* Magister. Pseudoapostoli gaudentes de multitudine faventium sibi, cuiuscumque ordinis, personas vel vi vel dolis in suam attrahent sectam; nam cogent *omnes pusillos*, id est parvos estate, vel qui nolunt nec possunt malum facere, *et magnos*, id est maioris etatis, vel qui ad libitum malum quod volunt faciunt, *et divites censu*, vel superbia tumidos, quo contra beati dicuntur *pauperes* spiritu et pauperes rebus, vel fide et bonis operibus, quo contra dicit Apostolus de se sibique similibus: «Tamquam nichil habentes et omnia possidentes» (II Cor 6,13), *et liberos*, id est nobiles, *et servos*, id est ignobiles, vel quibus dicit Apostolus: «Cum servi sitis peccato, liberi estis iusticie» (Rm 6,20). Hos, inquam, omnes cogent habere *caracterem bestie*, id est signum seductionis Antichristi. Et hoc *in dextera manu*, id est in perfecta operatione que signatur<sup>36</sup> per dexteram, quia paratior est ad operandum, aut *in frontibus suis*, id est in conscientiis. Et tanta erit eorum potestas, *ne quis possit emere*, id est predicationem de Christo audire, qui emitur bona fide ab illis bonis negotiatoribus quibus Dominus, talenta doctrina credens, «Negotiamini – inquit – dum venio» (Lc 19,13), *aut vendere*, id est aliis predicare. *Ne quis dico, nisi qui habet caracterem bestie*, id est signum Antichristi, sicut supra dictum est, *aut nomen bestie*, ut vocetur antichristianus, *aut numerum nominis eius*, id est significativum illius numeri, quem nomen eius continet in se.

36. signatur] signantur a.c. M

[111v] MAGISTER. Teitan etiam dicitur ‘gigas’, unde in Virgilio legimus: «Titaniaque astra» (*Aen.* VI, 725). Mentietur enim Antichristus quod ipse sit de quo prophetatum est: «Exultavit ut gigas et cetera» (Ps 18,6) et «vobis timentibus dum orietur sol iusticie» (Mal 4,2). Possumus et aliter dicere: sex vocatur quia dicet se fecisse opera que Deus fecit in sex diebus, centum quia perfectus sit in cognitione Dei, sexaginta quia perfectissimus sit in omni sanctitate et iusticia, quod notatur in sex et in decem. *Hic* igitur, ut premissum est, *sapientia est*, id est diligentia est adhibenda de fidelibus ne ignorantia huius nominis decipientur. Et ideo *qui habet intellectum spiritualem*<sup>37</sup> computet *numerum bestie*, id est secum cogitet numerum quem habet Antichristus in suo nomine soli Deo convenire. Ostensa autem sevissima persecutione quam patietur Ecclesia ab Antichristo et discipulis eius, ad consolationem ipsius ponit adiutorem Christum et familiam eius. Dicit itaque:

«**CAPUT XIV**»

**[Apc 14,1-2]**

[112r] *Et vidi et ecce Agnus stabat super montem Syon et cum eo centum quadrigintaquatuor milia habentes nomen eius et nomen Patris eius scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem de celo tamquam vocem aquarum multarum et tamquam vocem tonitrui magni. Et vocem quam audivi sicut cytharedorum cytharizantium in cytharis suis.* MAGISTER. Ostendo corpore Antichristi, quod draconis et virtute consum et notatum est cauterio, ne corpus Agni bestie timeres succubuisse furori, ostendit Ecclesiam solito fulgore numeroque gaudentem, intuens Christum Ecclesie sue certaminum fasce desudanti, exemplo virtutis et protectio- nis munimine presidentem. Et quid mirum si bestia non prevaleat<sup>38</sup> Agno, cum bestia in arena maris stetisse, Agnus vero super montem<sup>39</sup> Syon consistere dicatur?

**[Apc 14,4-6]**

[113v] MAGISTER<sup>40</sup>. Hec quidem Augustinus, cum virgines hortaretur, verum alias de omni Ecclesia vult intelligi, memorans illud Apostoli: «Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo» (II Cor 11,2), attende – inquit – quod a plurali ad singularem descendit, volens intelligi totam Ecclesiam virginem castam et in omnibus membris veris virginitatem men-

37. spiritualem corrixi : speritalem M

38. prevaleat] prevaleat a.c. M

39. montem restitui : mon M

40. magister in marg. M

tis, etsi non integratatem carnis servare. Virginitas carnis corpus est intacatum, quod paucorum est, virginitas cordis fides est incorrupta, que omnium fidelium est, de quibus dicitur in Apocalypsi: *hi sunt qui cum mulieribus non sunt coquinati, virgines enim sunt.* In mulieribus errorem significavit, quia error per mulierem cepit. Ideo ergo singulariter dixit virginem, quia omnes sunt una virgo propter unitatem integre fidei, id est solide spei, sincere caritatis. Virgo sunt quia a pravitate erroris et ab opere malo incontaminati, casti quia non habent estum male voluntatis. *Hi empti sunt ex hominibus, primitie Deo et Agno.*

MAGISTER. Possunt etiam hec omnia sic intelligi. Ista centum quadraginta quattuor milia post Agnum canentia significant sanctorum animas in celesti beatitudine, iam cum Christo regnantes. Que, cum adhuc essent in hac vita, habebant quidem cantica sua, sed in his canticis sepe fit confessio peccatorum, sepe pro delictis deprecatio, sepe commemoratio eterni supplicii. Eis vero ad eternum gaudium iam assumptis, succedit iam canticum novum in quo nichil triste, nichil quod mentem perturbet resonat et, quanto amplius depromitur, tanto amplius gaudium et leticiam cantantium mentibus infundit. Hoc canticum nemo potest dicere, nisi illa centum quadraginta quattuor milia, *qui empti sunt de terra* et in celesti beatitudine constituti, quia fideles in hac vita positi quasi per speculum et in enigmate (*cfr. I Cor 13,12*) gloriam et iocunditatem sanctorum in celis consistentium contemplantur, et quoniam illud canticum semper cogitant et ardenter desiderant, quasi audiunt, sed dicere non possunt, eo quod oculus non vidit nec auris audivit et in cor hominis non ascendit que preparavit Deus diligentibus se (*I Cor 2,9*). *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coquinati, virgines enim sunt,* quia etsi quam labem contraxerunt, aut per penitentiam et lacrimas caritatisque opera aut per flagella vel certe post mortem igne purgatorio deleta est. *Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Quo eat Agnus, Apostolus docet dicens: «Cui vult miseretur et quem vult indurat» (*Rm 9,18*). Sequuntur sancti, quia in omnibus eius assentient voluntati. Quod de sanctis adhuc in terra positis dicere non possumus, quia Samuel luxit Saul quem Dominus proiecerat (*cfr. I Sm 15,11-16,1*) et Ioanas cupiebat ut Ninivite delerentur, quos Dominus salvare decreverat (*cfr. Ion 4,1-11*). *Hi empti sunt ex hominibus, primitie Deo et Agno.* Sicut ex multitudine frugum parve primitie, ita ex multitudine populorum parvus numerus electorum. «Multi enim vocati, pauci vero electi» (*Mt 22,14*). *Et in ore eorum non est inventum mendacium, quia malum quod gesserunt ante mortem delere studuerunt et ita sine omni macula ante thronum Dei sunt.* Et descripta impugnatione facta per duas bestias et supposito auxilio Agni, ostensa etiam dignitate sanctorum post Agnum canentium, subiungitur ammonicio, ut de eorum consortio esse studeamus.

## [Apc 14,8-9]

[115r] *Et alius angelus secutus est eum dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna civitas que a vino ire fornicationis sue potavit omnes gentes.* MAGISTER. Ad predicationem prioris angeli confirmandam secundus sequitur angelus; concorditer tamen eadem nuntiant. Ille enim dicit: *quia venit hora iudicii eius.* Hic autem: *cecidit, cecidit Babylon,* id est confusio mundane conversationis. Ingeminando dicit propter confirmationem rei, vel quia mundus peribit et concupiscentia eius (I Io 2,17); more Sacre Scripture preteritum ponit pro futuro, eo quod inevitabiliter sit adimplendum, vel quia superbi tunc a Domino deiciuntur cum a diabolo exaltantur, sicut dicitur in psalmo: «Deieci eos dum allevarentur» (Ps 73,18). Due vero civitates sunt, id est Ierusalem que habet regem Christum et est corpus Christi, et Babylon, habens regem diabolum et est corpus diaboli. Quarum una cepit ab Abel, altera a Cain. Ierusalem est Ecclesia electorum, Babylon universitas reproborum. Ierusalem ad visionem perpetue pacis festinat et perveniet, Babilon vero auditura est: «Ite maledicti in ignem eternum» (Mt 25,40). Hec *a vino ire fornicationis sue omnes gentes*, id est omnes gentiliter viventes, inebriat, id est per malam doctrinam suam interim dementat, ut eos a Deo separans diabolo coniugat. De quibus dicitur: «Perdisti omnes qui fornicantur abs te» (Ps 73,27). Hec autem spiritualis fornicatio qua anima verum sponsum, Christum, deserit et coniungitur adultero, id est diabolo, maxime in appetitu glorie temporalis expletur, et ideo hoc vinum fornicationis, id est quod a Deo separat, plenum ire Dei dicitur. Propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentie, quia temporalem gloriam preponunt eterne. *Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit bestiam et imaginem eius et acceperit caracterem in fronte sua vel in manu sua et hic bibet de vino ire Dei quod mixtum est mero in calice ire ipsius et cruciabuntur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum et ante conspectum Agni.* Bestiam sanctus Augustinus impiam civitatem, imaginem vero eius simulationem, id est fallaciter Christianos, caracterem autem notam criminis interpretatur. Quam adorari, subici ei et consentiri<sup>41</sup> dicit.

[115v] MAGISTER. Digna profecto pena: fetor et ignis his qui ad perversa desideria, libidini serviendo, ex fetore carnis hic ardent. His cruciabuntur reprobi videntibus non solum angelis, sed etiam sanctis, ut in Dei laudibus crescant per cuius misericordiam evaserunt quod miseri patiuntur. Penam namque malorum sancti cum Domino regnantes semper videre possunt, ut hinc maiores erectori suo gratias agentes misericordias Domini in eternum cantent (cfr. Ps 88,1). Non enim eos, iusto iudici concordante, visa pravorum tormenta contristant, sicut nec divitem in flammis sepultum visa Lazari requies refrigerare

41. consentiri correxii : consentire M

potuit. Crucibuntur et in conspectu Agni, quia tanto timore terrebuntur ut videatur illis Deus semper esse presens, eisque cruciatus infligere.

[Apc 14,13]

[116v] MAGISTER. Hec vox de celo facta ad omnes pertinet qui remunerationem eternam expectant. Vedit – inquit – quod mali punientur in futuro et propter hoc *audivi vocem de celo*, id est ammonitionem non fantasticam, sed celestem, *dicentem michi: Scribe*, id est memoriter retine, vel aliis scribendo manifesta. Mali damnabuntur sicut iam audisti, sed beati, id est gloria immortalitatis bene aucti, erunt qui non sibi viventes sed Domino, in confessione nominis eius separantur a corpore. Et vere erunt beati, quia *amodo iam*, id est statim post mortem, *dicit Spiritus*, id est tota Trinitas, *ut requiescant a laboribus suis*, id est ut eterna requie accipiant a malis que in hoc mundo passi sunt. Et vere requiescent, quia *opera eorum*, id est merces bene factorum suorum, *sequentur<sup>42</sup> illos*, cum a Domino audient: «Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi» (Mt 25,34).

[Apc 14,18-19]

[118r] Per messionem terre et per uvas vinee terre damnatio malorum, sed diverso modo significatur, quia per vineam illos accipimus qui maiori studio mala operantur, sicut vinee ut fructum faciat maior cura adhibetur, sive illos qui sunt ebrii vel inflati temporali iocunditate. Hi mittuntur *in lacum ire Dei*, id est in infernum, ubi iram Dei sustinebunt. Calcabitur *lacus extra civitatem*, id est ipsi impii, entes extra consortium iustorum, stringent ut secum colligere possint ad penam *frenos* suos, demones scilicet, quos hic habuerunt incentores et rectores ad culpam. Et hoc *per stadia mille sexenta*. Stadium dicitur quantum currebat Hercules uno anhelitu, id est centum viginti quinque passus, et per stadium mensurabant Greci plateas in quibus ludebant. Et per hoc datur intelligi damnandos omnes deditos ludis huius seculi qui per quattuor orbis clima-ta per voluptatum ludicra currunt, incidentes per latam et spacirosam viam que ducit ad mortem. Quater enim quadrigenti fiunt mille sexcenti.

EXPLICIT VISIO QUARTA. INCIPIT QUINTA VISIO.

«CAPUT XV»

[Apc 15,1]

*Et vidi aliud signum in celo magnum et mirabile: angelos septem habentes septem plagas novissimas, quoniam in ipsis consummata est ira Dei.* MAGISTER. In supra-

42. sequentur correxī : sequetur M

positis visionibus exsecutus est statum Ecclesie a reparationis ordine usque ad iudicium; in tribus que sequuntur immoratur circa novissima tempora. Et est materia in hac quinta visione exceccatio et damnatio malorum, septem angeli habentes septem phialas, ex quarum effusione fiunt septem plage, id est destructiones iniquorum que erunt tempore Antichristi, unde maxime hortatur fideles ad patiendum. Nec superflue tamdiu immoratur circa novissima, quia plus valent ad exhortationem patientie, sicut scriptum est: «In omnibus memorare novissima tua» (Sir 7,40).

### [Apc 15,3-5]

[120r] *Magna et mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens.* MAGISTER. Celum, scilicet, et terra et que in eis sunt magna apparent ex prima creatione, mirabilia in recreatione. *Iuste et vere vie tue.* Vie Dei sunt institutiones eius per quas ipse ad nos et nos ad ipsum vadimus, que sunt *iuste*, quia unicuique redundit pro merito, *vere*, quia eo ducunt quo promittunt. Et ex hoc *quis non timebit te, Domine*, id est quis non obediet tibi cum timore vel non serviet ex amore? Potest hoc ad Iudeos referri, quia timore ad legis mandata coacti sunt; quodque sequitur, *et magnificabit nomen tuum*, ad prophetas pertinet, qui futura predicando et bene agendo, nomen eius glorificaverunt. Et merito magnificandus es, *quia solus pius es*, qui, nullis meritis precedentibus, pie redemisti omnes volentes salvari. Et ex hoc *omnes gentes*, id est aliqui de omnibus gentibus, *venient*, id est fidem tuam recipient, *et adorabunt*, id est bene operabuntur propter te habendum; et hoc *in conspectu tuo*, id est in beneplacito tuo. Et hoc iuste facient, *quoniam iudicia tua manifesta sunt*, id est separatio bonorum et malorum in die iudicii nota erit omnibus. *Et post hec vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in celo.* Et exierunt septem angeli, habentes septem plagas de templo, vestiti lapide mundo, candido: *et precincti circa pectora sua zonis aureis.* Tempore persecutionis Antichristi vere aperietur templum tabernaculi, quia tunc evidenter manifestabuntur electi, qui vere sunt templum Domini. *Templum* dico tabernaculi, id est tales qui soli Domino militent in hoc seculo. Tabernaculi dico *testimonii*, quia hec est sanctorum militia ut testimonium ferant Christo regi, bene operando; et hoc *in celo*, id est in celesti conversatione vel etiam corpora sua passionibus subiciendo.

### [Apc 15,7-8]

[120v] *Et unus de quattuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas plenas iracundie Dei viventis in secula seculorum.* Et impletum est templum fumo a maiestate Dei et de virtute eius et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plage septem angelorum. MAGISTER. Iste sunt phiale quas cum odo-

ribus ferunt animalia et seniores. Et quare ibi plene odoramentorum, hic autem dicuntur plene iracundie Dei? Quia sanctorum doctrina et iustis aperit suavitatem perennium gaudiorum et peccatoribus iram suppliciorum; et unde isti odorantur vitam, inde isti accipiunt mortem. Unde Apostolus: «Aliis sumus odor vite in vitam, aliis odor mortis in mortem» (II Cor 2,16). Sic et Dominus quibusdam dicitur positus in ruinam, quibusdam in resurrectionem. Quis vero per hoc singulare animal, quod septem angelis septem phialas dedit, nisi Christus intelligitur? Qui superius per quattuor animalia est designatus: qui factus est homo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad celos ascendendo, quique suis predictoribus celestem scientiam non iam clausam, ut in Veteri Testamento, sed apertam ut phiale dedit. *Et impletum est templum fumo.* Templum significat corda electorum, fumus vero compunctionem lacrimarum. Impletur templum fumo quando electorum corda compunguntur penitentie lamento. Et hoc a maiestate et virtute Dei fit, qui tangit montes et fumigant (Ps 143,5), id est superbos mentes respectu sue miserationis compungit, ut penitentie lamenta proferant. Nemo tamen templum intrare potest, quia nullus adeo de sua conscientia securus est, ut sciat utrum amore an odio dignus sit, donec, finito presentis Ecclesie statu, veniat Dominus qui reddet unicuique secundum merita sua (Mt 16,27).

#### <CAPUT XVI>

##### [Apc 16,1]

*Et audivi vocem magnam de templo dicentem septem angelis: Ite effundite septem phialas ire Dei in terram.* MAGISTER. Vox ista divina est inspiratio vel aperta admonitio, qua predictoribus officium predicationis iniungitur. Hic autem innuitur quia nemo, licet scientiam predicationis habeat, predicare<sup>43</sup> debet, nisi a Deo et ab Ecclesia ei iniungatur. Dicit ergo: *Ite, id est vosmetipsos prius in bonis operibus promovete et sic effundite phialas vestras, id est manifestate predicando corda vestra et scientias vestras.* In quibus phialis est ira Dei, quia predicatorum docentes peccatores quomodo evadere possunt iram Dei. In terram enim phialas suas effundunt, quia contra terrenos homines loquuntur. Et sicut vox ammonuit, ita factum est.

##### [Apc 16,3-7]

[121v] MAGISTER. Potest per caracterem bestie intelligi speciale diaboli vitium: superbia, qua signantur omnes qui sunt ex parte eius, qui bene homines terram inhabitantes dicuntur, quia humana tantum non que Dei

43. *predicare*] non *add. et post del.* M

sunt sapientes, terrenis divitiis inflantur. Et ideo vulnere sevo ac pessimo, audita predicatione, letaliter vulnerantur, quia non solum mala sua non corrigit, verum insuper diabolico spiritu inflammati, opera sua defendant. Sicque imaginem bestie adorant, dum se ipsos, qui sunt imago diaboli, quia eum in moribus suis ac si visibiliter representant, divine dispositioni procaciter opponere nituntur. *Et secundus effudit phialam suam in mari et factus est sanguis tamquam mortui et omnis anima vivens mortua est in mari.* Queritur, cum preceptum sit angelis ut phialas suas effunderent in terram, cur alius in mare, alius in flumina, alius in solem, alius super sedem bestie, alius in flumen magnum Euphraten, alius in aerem<sup>44</sup> phialam suam effuderit. Sed sciendum quia quod significat terra, hoc est mare et cetera, id est omne corpus diaboli super quod effunditur ira Dei. Secundus autem angelus non dicitur secundum numerum, sed secundum ordinem narrationis vel visionis, quia quod est primus angelus, hoc est secundus et ceteri, id est ordo predicatorum. *Secundus igitur angelus effudit phialam suam in mare,* id est predicavit ad execrationem eorum qui sunt amari persecutores Ecclesie, qui semper contundunt Ecclesiam, sicut fluctus maris insulam. *Et factus est sanguis tamquam mortui hominis,* id est sicut non potest resurgere, ita persecutores non liberabuntur a sua damnatione et merito eorum damnatio per sanguinem exprimitur, qui sanguinem sanctorum fuderunt. Aliter: Deum unum ex quo sunt omnia in similitudinem intellige aque, ex qua generantur omnia. Quo autem pertinet sanguis, nisi ad carnem mortalem? Et quid est quod, effusa phiala in mari, aque maris verse sunt in sanguinem, nisi quod reprobi peccato persecutionis addiderunt et hoc quod commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis? Quod et in fine mundi facturi sunt cum, despecto Christo, Antichristum adorabunt. Sive per mare Iudei intelliguntur, qui, habentes legem, amaricaverunt Deum, prevaricando legem; et quia semper legem carnaliter intellexerunt, Scriptura legis eis versa est in sanguinem, id est in mortem, quam tamen Christus fidelibus mutavit in vinum (cfr. Io 2,1-11), id est in spiritualem iocunditatem. Et ideo mortua est omnis anima vivens in mari, Iudei scilicet qui per carnales observantias se putant vivere. Unde Dominus per Prophetam ait: «Dedi eis precepta non bona, que faciens homo non vivat in eis» (Ez 20,25). *Et tertius angelus effudit phialam suam super flumina et super fontes aquarum et factus est sanguis.* Et audivi angelum aquarum dicentem: *Iustus es, Domine, qui es et qui eras, sanctus, qui tecum indicasti, quia sanguinem sanctorum et prophetarum fuderunt et sanguinem eis dedisti bibere, ut digni sunt.* Hoc et Egypciis olim contigisse legitur, quibus aque fluminis in sanguinem verse sunt, in quibus Hebreorum parvulos necaverunt, ut auctores sceleris

44. aerem] aere M

cruorem polluti gurgitis biberent, quem parricidiali cede maculaverunt. Et ideo adhuc alium testem adducit dicens: *Et audivi alterum ab altari dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens et vera et iusta iudicia tua.*

[Apc 16,10-11]

[123r] MAGISTER. Hoc dictum est a similitudine morientis, qui pre nimio dolore et infirmitate interiori linguam suam comedit. Sicut enim iusti fructus laborum suorum post mortem manducant, ita impii dignis blasphemie sue penis quasi linguis suis saturantur. Saturabuntur iusti gloria, isti afflictione et miseria. Et hoc ideo quia *blasphemaverunt Deum celi*, id est illum Deum, quem colit Ecclesia catholica, seductorem dixerunt. Que blasphemia tripliciter fit, id est voce, opere et cordis obduratione, unde sequitur: *Et non egerunt penitentiam ab operibus suis.* Numquam enim Deus respuit penitentiam, sed quamcumque hora peccator ingemuerit salvus erit. Omnino tamen vigilandum nobis est et orandum ne fiat fuga nostra hieme vel sabbato (Mt 24,20), quia qui penitenti veniam spopondit peccanti diem crastinum non promisit.

[Apc 16,12]

*Et sextus effudit phialam suam in flumen illud magnum Eufraten et siccavit aquam eius ut prepararetur via regibus ab ortu solis.* MAGISTER. Per Eufraten flumen, qui ‘vorago’ interpretatur, duces et marchiones aliquique principes Antichristi intelliguntur, qui vorare nituntur Ecclesiam ad similitudinem Eufratis fluvii terras adiacentes devastantis. Qui bene fluvius dicuntur quia, de vitiis in vitia fluitantes, spem suam in fluxu terrenarum deliciarum ponunt; nec qualiscumque fluvius sed magnus, quia magne et eterne perditioni preparantur. Hic fluvius per terram Babylonie plures dividitur in rivos, quia persecutorum Ecclesie alii sunt homicide, alii adulteri, alii diversis criminibus maculati. Sed quamvis multum inundet magnus ille Eufrates, tamen angelus, effundens in eo phialam suam, *siccavit aquam eius*, id est ostendit fidelibus cito finiendam persecutionem et gloriam infidelium. Quis est iste angelus? Christus utique qui dixit discipulis suis: «Confidite, ego vici mundum» (Io 16,33); et Apostolus eius: «Mundus transit et concupiscentia eius» (I Io 2,17). Siccabitur aqua fluminis quia peccandi ab impiis auferetur possiblitas, non tamen deerit voluntas. Si enim semper vivere possent, semper peccare vellent, unde Dominus nequaquam dicturus est eis: «Discedite a me, qui operati estis iniquitatem», sed «qui operamini» (Mt 7,23). Ac si dicat: Qui nunc usque voluntatem male operandi habetis. Que aqua ideo siccata est *ut preparetur<sup>45</sup> via regibus ab ortu solis.*

45. preparetur] prepararetur a.c. M

[Apc 16,13-15]

[124r] *Et vidi de ore draconis et de ore bestie et de ore pseudoprophete spiritus tres immundos in modum ranarum exisse. Sunt enim spiritus demoniorum facientes signa, et procedent ad reges totius terre congregare illos in prelum ad diem magnum Dei omnipotentis.* MAGISTER. Instat diabolus quantum potest et, licet siccatus sit fluvius suus, adhuc tamen resistit et totis viribus nititur ne transeant liberati, unde nunc dicuntur *de ore draconis*, id est de suggestione diaboli, *et de ore bestie*, id est de predicatione Antichristi, *et de ore pseudoprophete*, id est de verbis discipulorum eius, tres immundi spiritus exisse, nuncii scilicet totius immundicie, totius doli, totius iniquitatis. Qui tres dicuntur, quia fidem sancte Trinitatis impugnantes et cogitatione et locutione et opere peccare suadebunt. *In modum ranarum* sunt, quia in sordibus morantes numquam sordere desistunt; qui, ut melius decipient, quandam hypocrisin ostendunt, sicut rane, que aquarum quidem mundiciam incolere videntur, in sordius tamen et ceno voluntantur. Et se ipsos predicantes et extollentes humiles Christi discipulos non solum vana loquacitate, sed et signorum ostentatione inquietabunt, unde sequitur: *Sunt enim spiritus demoniorum facientes signa.* Ita namque, sicut per magos pharaonis (cfr. Ex 7,11-12), demones in eis habitantes credendi sunt signa facturi, sicut dicit Apostolus: «Quemadmodum Iamnes et Mambres restiterunt Moysi, ita et isti resistant veritati» (II Tim 3,8). Et ipse Dominus: «In illis diebus consurgent pseudochristi et pseudoprophete et facient signa magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi» (Mt 24,24). Quod si hec omnia machinamenta superaverunt electi, quid amplius facient? Sequitur: *Et procedent ad reges totius terre congregare illos in prelum ad diem magnum Dei omnipotentis*, id est predicando et nuncios suos mittendo, venient ad noticiam terrenorum principum et congregabunt eos in prelum, id est in unam conspirationem et voluntatem nocendi fidelibus eos adunabunt. Sed non timeant fideles, quia cito omnes boni et mali venient *ad diem magnum Dei omnipotentis*, id est ad diem iudicii, in qua Deus omnibus apparebit omnipotens. Aliter: Diem magnum Dei omnipotentis doctrinam Christi vocat que est dies magna, id est magnam lucem conferens toto mundo, vel diem iudicii. Congregabunt ergo pseudoprophete et pseudochristi *reges totius terre*, id est terrena curantes, in prelum, ad diem magnum Domini destruendum, scilicet quia et doctrina Christi annullare studebunt et diem iudicii dicent non esse timendum sicut predicator sancti, sed malo suo, quia cum ita dicent: «Pax et securitas», repentinus eis superveniet interitus (I Th 5,3). Unde subditur: *Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudem eius.* Evigilate ergo iusti, nolite dormire in malis operibus, quia veniam occultus ad vos, cum auferam a dormientibus et corpus et animam, sicut fur qui aufert divitias dormientis. Beatus proinde qui vigilat in fide et qui custo-

dit vestimenta sua, id est bona opera, ne humana laus auferat illa; ne nudus a bonis operibus ambulet, cum resurrexerit, et tunc ad damnationem suam ego, iustus iudex, videam turpitudinem eius, id est mala opera eius, que eum turpem faciunt michi et omnibus sanctis.

[Apc 16,17-18]

[125r] *Et septimus angelus effudit phyalam suam in aerem et exivit vox magna de templo a throno dicens: Factum est. Et facta sunt fulgura et voces et tonitrua et terremotus factus est magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram talis terremotus et sic magnus.* MAGISTER. Iste septimus angelus ordo predicatorum est post mortem Antichristi predicantium, qui effundet phyalam suam, id est predicationem suam, *in aerem*, id est contra aerias potestates. Diabolus enim et angeli eius usque ad iudicium per hunc aerem discurrunt, quia si haberent locum in terra, non possemus pati eorum corruptiones, unde Apostolus: «Non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem, sed contra spiritualia nequitie in celestibus» (Eph 6,12). Et bene in aere locum habent, quia vani et elati sunt; et postea *exivit vox magna de templo a throno*, id est ab Omnipotente sedente in throno et habitante in templo, id est in Ecclesia, quia eius iudicio omnia consummantur. *Factum est* ait, id est finitum est regnum Antichristi et completa est damnatio reproborum; iam consummata sunt omnia et finis adest. Iam consummata est omnis nequitia, non in effectu sed in corde impiorum, quia ad penitentiam amplius non convertentur.

[Apc 16,19-20]

[126r] *Et facta est civitas magna in tres partes et civitates gentium ceciderunt et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis ire eius.* MAGISTER. Ad quid? *Dare*, id est ut daret illi *calicem vini*, id est mensurata penam pro iocunditatibus et delectationibus quibus hic debriata obliterata est Domini Dei sui. Calix enim vini pro pena mensurata ponitur hic. Quantum – inquit – exaltata est et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. *Calicem dico indignationis ire eius*, id est penam procedentem ab indignante et irato Deo, qui tunc valde indignari videbitur et irasci, quod tam viles et tam abiecti contra sua precepta rebellaverint. *Et omnis insula fugit et montes non sunt inventi et grando magna sicut talentum cecidit de celo in homines.* Et blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam facta est magna vehementer. Ubi scilicet Babylon veniet in memoriam ante Deum, *omnis insula fugit et montes non sunt inventi*, quia tunc non invenietur aliquis sanctorum in consortio reproborum. Insula enim intelliguntur activi, qui presentis vite fluctibus tunduntur, sed non merguntur; montes contemplativi, quorum

conversatio in celis est (*cfr.* Phil 3,20): hi sicut in presentia consensu reproborum secernuntur, ita in futuro a damnatione separabuntur.

[Apc 16,21]

[126v] *Et grando magna sicut talentum descendit de celo in homines.* MAGISTER. Grando ire Dei talento similis dicitur, quia et pondere gravis et equa iudicio pro diversitate culparum singulis infligitur. Et quia inferno positi, licet sciant se iuste puniri, dolebunt de potentia Domini eiusque iusticiam vehementer exosam habebunt, apte subditur: *et blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis,* id est propter intolerantiam tormentorum. Vel *blasphemaverunt* dicit, quia hominum tunc blasphemie patebunt, Deo scilicet revelante occulta cordium. Sive quia alia peccata sunt causa peccati, alia pena peccati, alia utrumque, sicut dicit Ysaias: «Ecce – inquit – tu iratus es et peccavimus» (Is 64,5). Hic blasphemare Deum pro grandine et peccatum cognoscitur et pena peccati. Peccatum enim quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo, sed peccatum est simul et plaga et pena peccati, quia iusto iudicio Deus cor peccantis obnubilat, ut precedentis peccati merito etiam in aliis cadat. Sicque propter plagam grandinis Deum blasphemare est, merito precedentis peccati, ira superni iudicis permittente, blasphemie plagas incurrere.

**CAPUT XVII**

[Apc 17,6-7]

[129r] *Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Iesu et miratus sum cum vidi sem eam admiratione magna, et dixit michi angelus: Quare miraris? Ego tibi dicam sacramentum mulieris et bestie que portat eam, que habet capita septem et cornua decem.* MAGISTER. Posita causa damnationis, ponit et ipsam damnationem. Ac si dicat: vidi peccantem, vidi et pro peccato damnatam, vidi mysterium stultis occultum<sup>46</sup>, predicatam scilicet mulierem ebriam, id est in sua damnatione sic excecatam, ut pre nimiis doloribus iam nesciat ubi sit. *Ebriam dico de sanguine sanctorum,* id est propter sanguinem martyrum Christi quem actualiter effundit. Et ego Iohannes, typum gerens doctorum in Ecclesia qui non debent prophetare de corde suo, sed discere a sapientibus quod predicent aliis, miratus sum cum vidi sem in figura mulierem illam, et non parum, sed *admiratione magna.* Hic innuit nobis quia mysteria Chirsti cum magna diligentia sunt inquirenda; vel in hac admiratione tenet personam illorum qui, cum vident malos exaltari in seculo, mirantur

46. occultum] occultum M

quod tante pene illis promittantur et, cum ita sint puniendi, quare Deus permittit illos ita exaltari. Sed docentur<sup>47</sup> intelligere illam exaltationem iusto Dei iudicio permissam ad maiorem eorum excepcionem. Et cum ita mirarer – inquit – dixit michi angelus qui me in desertum extulerat, id est divinitus inspiraverat: *Quare miraris, o Iohannes? Noli mirari, sed intellige quam iustum sit quod iusto iudicio Dei sit. Ego exponam tibi*, id est ad utilitatem tuam, *sacramentum*, id est significatum, *mulieris*, quod est secretum et absconditum, nec patet nisi quibus voluerit Deus revelare, *et bestie*, id est diaboli qui homines facit bestiales, qui portat eam in prelium, scilicet contra fideles. Que bestia habet capita septem, id est principalia vitia, vel principes huius mundi, et cornua decem, id est Iudeos qui se gloriantur decem precepta legis implere et tamen per carnalem intellectum impugnant ea.

[Apc 17,8]

[129v] *Bestia* – inquit – *quam vidisti fuit et non est et ascensura est de abysso et in interitum ibit. Et mirabuntur inhabitantes terram quorum nomina non sunt scripta in libro vite a constitutione mundi, videntes bestiam que erat et non est.* MAGISTER. Diabolus ideo iam *non est*, quia a summa essentia recessit et per hoc cotidie excrescente defectu quasi ad non esse tendit, quod semel ab eo qui vere est cecidit. Non esse dicitur, quia bene esse perdidit, quamvis nature essentiam non amisit. *Et ascensura est de abysso*, bestia scilicet, id est per illos qui profundissimi sunt in vitiis exaltanda, quia diabolus potestatem qua modo per Christum caret, per Antichristum hominem perditissimum recipiet. Sed non timeant fideles, quia cito *in interitum ibit*, id est damnabitur eternaliter cum suis membris. Vel de abysso ascendet, quia de profunditate perfidie Iudeorum nascitur est, iuxta illud: «Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita» (Gn 49,17). Et notandum quod ascendere dicitur, quia ab ipsa infantia sua in superbia elevabitur, extollens se supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur. *Et in interitum ibit*, quia Dominus Iesus interficiet eum spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui. Et quia de tanta elatione in tam profundissimam damnationem videbitur corruisse, propterea *mirabuntur inhabitantes terram*, reprobi scilicet, mente terram inhabitantes et terrenis rebus per desiderium inherentes. Dolebunt nempe cum viderint potestatem suam que tanta fuit sic adnichilatam, dicentque: «Hecine erat spes nostra?» (Is 20,6) «Quid nobis profuit superbia? Et divitiarum iactantia quid contulit nobis?» (Sap 5,8). Erravimus a via veritatis (cfr. Sap 5,6) Antichristo credentes et sol iusticie Christus non est ortus nobis. Denique quid mirentur audi. *Videntes* – inquit –

47. docentur] hic *add. et post del.* M

*bestiam que erat et non est, id est regnum diaboli quod per Antichristum tam elevatum erat ad tantam invaliditudinem redactum. Et ne forte quod dicitur mirabuntur inhabitantes terram, etiam de bonis accipere velis, qui tunc erant in terra, addit: quorum nomina non sunt scripta in libro vite a constitutione mundi, id est qui non sunt predestinati ad vitam eternam.*

[Apc 17,10]

*Et hic est sensus qui habet sapientiam: Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet et septem reges sunt. Quinque ceciderunt, unus est et alius nondum venit. Et cum venerit oportet illum breve tempus manere. Hic, id est in consideratione amissionis regni diaboli est habendus sensus, quia per illam destructionem debemus intelligere nostram reparationem. Vel hic, id est in consideratione tormentorum reprobis promissorum est exercendus sensus sapientis, ut attendat potentiam contemnendam ex qua proveniunt tormenta sempiterna. Vel hic, id est in sequentibus verbis perscrutandis adhibendus sensus et non cuiuslibet sed eius, qui a Deo habet sapientiam. Septem, inquit, capita septem montes super quos bestia sedet et septem reges sunt.*

[130r] MAGISTER. Quinque sensus corporis sunt, quibus omnis homo regitur contra voluntatem Dei in infantia sua, ex quo Adam peccavit. Adam enim in obedientia perstitisset, nullo horum contra Deum uteretur, sed in suo peccato ita corrupti sunt, ut iam naturale sit omnibus, lenia tactu, savora gustu, canora auditu, odora olfactu, visu pulchra querere. Hi sunt quinque reges per quos diabolus homines in pueritia regit. Sextus est error quem eligunt mali cum perveniant ad etatem discretionis, qui vocatur adultus, cui ad voluntatem carnis serviunt quinque sensus. Quod Dominus notat in Evangelio, cum ad mulierem Samaritanam dixit: «Quinque viros habuisti», id est quinque corporis sensibus in pueritia servisti, «sed et ille quem nunc», id est in etate discretionis, «habes, non est tuus vir» (Io 4,18), sed est spiritus erroris qui est adultus. Legitimus quippe vir est spiritus discretionis, qui imperat quinque sensibus corporis, ut dominus in domo servis, quem electi assumunt in etate discretionis. Hi quinque sensus et sextus spiritus erroris sunt capita et montes super quos mulier sedet; montes quia elevant eam ad superbiam, reges quia regunt eam ad voluntatem carnis. Septimus est Antichristus, et quia iam ad etatem discretionis venerant, ideo subditur: *quinque ceciderunt*, id est quinque sensus corporis secundum etatem abierunt. *Unus est*, id est spiritus erroris regnat in illis, *et alter*, id est Antichristus qui est septimus rex nondum venit, quia adhuc manifestatus non est. Sed non timeant eum fideles, quia *cum venerit oportet illum breve tempus manere*, id est tres annos et dimidium. Nisi enim abbreviati essent dies illi, non fieret salva omnis caro.

## [Apc 17,11]

*Et bestia que erat et non est, ipsa octava est et de septem est et in interitum ibit.*  
**MAGISTER.** *Bestia*, id est ipse diabolus qui erat ante passionem Domini potens supra omne genus humanum et modo non est potens, *ipsa octava est secundum numerum et tamen de septem est supradictis*, quia in illis et cum illis seducit homines. Et cum illis *in interitum ibit*, id est punietur in igne eterno. *De septem est*, quia similiter peccat et similiter punietur, *octava est*, quia sicut omnes trascendit in nequitia, sic etiam in pena. Propter eiusdem quidem corporis impiorum unitatem *de septem est*, sed propter singularem nequitie potestatem octava est. Ad nichil enim aliud appellat octavam que septima erat, nisi ut ostenderet quia septies tantum tunc dominabitur Antichristus in corpore suo, cum solitus fuerit, quam nunc sicut Dominus cum de maligno spiritu de homine expulso loqueretur ait: «Tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se» (Lc 11,26). Qui utique non diceret septem alios, nisi in uno etiam septem voluisset intelligi.

## [Apc 17,12-14]

[131r] **MAGISTER.** *Decem cornua et decem reges* sunt Iudei per decalogum carnaliter intellectum Ecclesiam impugnantes, qui omnes, ubicumque dispersi fuerint, ad Antichristum convenient et reges ab illo constituentur et Christianos impugnabunt. *Hi regnum nondum acceperunt*, quia hanc potestatem ab Antichristo nondum adepti sunt. *Hi una ora*, id est tantummodo tribus annis et dimidio, quibus cum capite suo regnabunt, potestatem accipient et hoc *post bestiam*, id est in subiectione illius tamquam membra capiti subdita. *Hi unum consilium habent*, id est unam voluntatem persecundi fideles cum principe suo et virtute, id est quod nullus eos poterit vincere, *et potestatem* qua dominantur super eos *bestie tradent*, id est Antichristo ascribent, ab eius potestate et sanctitate se putantes hoc accepisse. Et *hi* in reprobum sensum traditi *pugnabunt cum Agno*, id est contra Christum, fidem eius et nomen annullando, *et Agnus*, Christus persuadebit illis, aliquos eorum sicut Iudeos ad fidem convertendo, alios in ignem eternum precipitando. Vel *vincet eos*, quia constantiam dabit suis, ut ante possint occidi quam superari, dicentes cum Apostolo: «Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio an angustia an persecutio an nuditas an fames an periculum an gladius? Nequaquam, sed in omnibus superamus propter eum qui dilexit nos» (Rm 8,35-37), quoniam – inquit – *Dominus dominorum est et rex regum*.

## [Apc 17,15-18]

[132r] **MAGISTER.** Deus – inquit – iustus iudex et fortis, cui semper iusticia placita est, talia permisit: impios pro pena peccati prioris operari, pro quibus

merito damnentur. Hinc de quibusdam dicitur: «Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea que non conveniunt» (Rm 1,28). Hinc etiam cor pharaonis dicitur indurasse, quod emolliri non merebatur. *Dedit ergo Deus in cordibus reproborum propter precedentia peccata, ut faciant quod illi placitum est, ut scilicet dent regnum suum bestie,* id est ut diabolo<sup>48</sup> pareant et hoc tamdiu, *donec consummentur verba Dei,* id est donec impleatur illud quod predixit se dicturnum in iudicio iustis: «Venite benedicti Patris mei, percipite regnum» (Mt 25,34). Et iustis: «Ite, maledicti, in ignem eternum» (Mt 25,41). Vel de Iudeis potest intelligi, qui dicuntur decem cornua propter decem precepta quibus se defendunt, qui conversi ad fidem, sicut Ysaias dicit: «Reliquie Israel salve erunt» (*cfr.* Is 37,32); *odient bestiam,* id est diabolum, *et fornicariam,* id est multitudinem infidelium exemplo quorum fornicati sunt. Nam quod Iudei tunc convertantur ad Christum indicat titulus qui in cruce Domini scriptus est: Jesus Nazarenus rex Iudeorum. Qui, conversi, non solum odio habebunt fornicariam, sed et se ipsos subtrahendo ab ea, cui ante consentebant dabant solatium, desolatam facient illam. Et quia numquam tales predicatores Ecclesia habuit quales Iudei tunc erunt, *facient eam etiam nudam,* id est auferent ei non solum se, sed et alios, convertendo eos ad fidem. Et quia non omnes convertentur, ideo sequitur: *carnes eius manducabunt,* id est eos qui sunt molliores ad recipiendam fidem sibi incorporabunt, non eos qui sunt ossa, id est indurati in erroribus. Et ipsam igni concremabunt, id est eterno incendio dignissimam predicabunt. Nec mirum, quia Deus verus quem prius spernebant, *dedit,* id est inspirabit in cordibus eorum, *ut faciant quod illi placitum est,* id est ut et ipsi convertantur et alios convertant. Dolebunt enim multum Iudei tanto tempore se errasse, sicut synagoga dicit in Canticis: «Nescivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas Amminadab» (Ct 6,11). Amminadab ‘spontaneus populi mei’ interpretatur, et bene procul dubio Christus a Patre spontaneus populi mei dicitur, qui vere spontanea caritate ad populum salvandum descendit, et ut nos a morte liberaret pia voluntate et benigna gratia mortem in crucem suscepit. Propter quadrigas ergo Amminadab synagoga conturbatur, quia quando tandem quatuor Christi evangelia in mundo currentia in cordibus predictorum ferventia per fidem contemplatur, mox de infidelitatis sue tenebris confunditur et oborta confusione salubri ad penitentiam commovetur. Et tunc non dabunt ultra regnum suum bestie, eo quod videant verba Dei consummari, id est impleri. Et expositis omnibus que vidit in mulierem et in bestiam, que sit ipsa mulier exponit dicens: *Et mulier quam vidisti, o Iohannes, est civitas magna,* id est significat collectionem magnam nuntiorum Antichristi, que civitas dicitur, quia multorum vitam in suam sec-

48. diabolo] suo *add. et post del.* M

tam convocabit et est magna in sceleribus et *habet regnum super reges terre*, quia maxime per reges et principes huius seculi in superbia elevatur.

**EXPLICIT VISIO QUINTA. INCIPIT SEXTA**

**«CAPUT XVIII»**

[Apc 18,1-3]

[133r] MAGISTER. In hac autem sexta visione agit de ultimis penis quas patientur impii in inferno pro singulis peccatis, et primum de Babylone ostendit, postea de bestia et pseudoprophetis, tandem de ipso diabolo in quo patet finis. Hanc vero damnationem executurus a Christo predictam dicit, ut maior fides adhibeatur, Dominumque incarnatum loquentem introducit.

[133v] MAGISTER. Et ille magni consilii angelus (*cfr. Is 9,6*), cui bene credendum est, *clamavit in forti voce*, id est aperte predicavit per divinam inspirationem que est fortis vox, quia nullus ei resistere potest, dicens ita: *Cecidit, cecidit magna civitas Babylon*, id est confusa est multitudo reproborum magna in superbia et in<sup>49</sup> peccatis. Repetitio notat duplarem casum, corporis scilicet et anime. *Forti voce* clamavit quia quod predixit ad effectum perducet; mox enim ut dixerit: «Ite maledicti in ignem eternum» (Mt 25,40), statim absque cunctatione cadent in damnationem sempiternam qui hic cadere noluerunt per penitentiam. O vox fortis, o vox terribilis! *Cecidit* ait, ac si iam factum esset, quia mali dum extolluntur deiciuntur: Deiecisti eos – inquit – dum allevarentur (Ps 72,18); vel *cecidit* iam in Dei prescientia, quia novit Dominus qui pertineant ad Babylonem, qui casuri sunt in perpetuam damnationem, qui etiam in capite suo diabolo iam ceciderunt, qui ab illa celesti Ierusalem irreparabiliter corruit et subdit causam ruine. Merito, inquit, cadet, quia per pravos actus *facta est habitatio demoniorum*, quod ex hoc perpendi potest, quia *custodia est omnis spiritus immundi*, id est custodivit malas doctrinas quas inspiraverunt spiritus immundi, vel custodierunt eam spiritus immundi ne laqueos eorum evaderet, vel custodivit in se spiritus immundos per immunda desideria et obscenas delectationes eis obediendo. *Et facta est custodia omnis volucris immunde et odibilis*, diaboli scilicet incitamenta custodiendo, qui suadet hominibus superbire cum male fecerunt et exultare in rebus pessimis et leves et inconstantes semper de vitiis ad virtutem volitare. Que volucris dicitur etiam odibilis, quia odibilis coram Deo et hominibus superbia. Demones enim dicuntur immunde volucres per hunc aerem discurrentes usque ad diem iudicii, iuxta illud Iudei Apostoli: «Angelos vero qui non servaverunt suum principatum

49. in *inter lin.* M

sub caligine huius aeris tradidit cruciandos in iudicium magni diei» (Iud 1,6). Maligni itaque spiritus propter maliciam demones, propter carnis illecebras spiritus immundi, propter elationem volucres appellantur.

### [Apc 18,4-5]

[134v] *Et audivi aliam vocem de celo dicentem: Exite de illa populus meus et ne participes sitis delictorum eius et de plagis eius non accipiatis, quoniam pervenerunt peccata eius usque ad celum et recordatus est Deus iniquitatum eius.* MAGISTER. Admonitionem ponit, quam de celo, id est per divinam inspirationem se audisse dicit, hortans electos ut in hac vita se dividant a pravorum communione, si in futuro separari volunt ab eorum damnatione. O – inquit – qui estis populus meus *exite de illa*, id est opera predice mulieris Babylonie nolite operari. Et non solum non operamini, sed *neque sitis participes delictorum eius*, id est in voluntate vestra peccatis eius consensum non prebeat, sic et Ysaia dicit: «*Exite de medio eorum et immundum ne tetigeritis*» (Is 52,11). *Ne sitis ergo participes delictorum eius*, ut non sitis in penis eius provenientibus ex delictis eius, unde subditur: *et de plagis eius non accipiatis*, id est ut non sitis participes eius future damnationis. Si enim mente iniquitatibus reproborum non consentitis, quia corpore adhuc separari non potestis, non damnabimini cum illis. Vere enim damnabuntur, quia peccata eorum qui sunt Babylon, quia confundentur in eternum, *pervenerunt usque ad celum*, id est iniquitates eorum penitus consummate sunt. Nolunt agere penitentiam, contra Deum eriguntur, iustum iudicem se putant eludere posse. Non sic impii (Ps 1,4), non sic: Deus non irridetur. Cur tempus vobis indulsum ad penitentiam vertitis in augmentum culpe? Unde enim diutius expectamini, inde districtius feriemini. Quanto enim longius intenditur arcus, tanto fortius emittit sagittam. Sive tunc dicuntur peccata venire usque ad celum, quando veniunt usque ad illud punctum peccandi quod numquam transirent peccando, scilicet usque ad contemptum Dei, unde eque redditur eterna pena et illi qui uno die vel anno peccavit, et illi qui centum, si uterque ad illud punctum peccandi pervenit. Et vere peccata Babylonis usque ad celum pervenerunt, nam *recordatus est Deus iniquitatum eius*, quarum videbatur oblitus, dum permittebat eam in eis prosperari.

### [Apc 18,9-10]

[136r] MAGISTER. Reges terre dicuntur qui intentionem et studium suum ad terrena sectanda dirigunt, qui quia plus terrena quam celestia appetunt cum meretrice Babylonica fornicantur. Isti imminentे iudicio flebunt, quantum ad corpus, quia intelligent se in corpore puniendos, et plangent in anima in qua se sciunt esse cruciandos. *Flebunt*, dico, *se super eam*; subaudi fundatos fuisse, id est totam spem suam in vanitatibus huius seculi posuisse. Recte

enim presens seculum Babylon vocatur, quia confundit omnes sperantes in se. Et merito flebunt, nam vixerunt, id est totam vitam suam in deliciis secularibus transegerunt. Et tunc maxime flebunt, *cum viderint fumum incendii eius*, id est penam infernalem incidentem et tenebrosam ut fumus est, vel cum appropinquare cognoverint futuram damnationem per rerum temporalium amissionem. Presentium enim desolatio eterne tribulationis indicium est, sicut ignis signum est fumus ascendens. Illi – dico – *longe stantes propter timorem tormentorum eius*, id est longe volentes stare si possent a pena tormentorum eius. Quid autem de mundi destructione dicant audiamus: *Ve ve civitas illa Babylon.* O Babylon illa, notabilis in vitiis, magna in divitiis. *Civitas*, id est multos convocans ad imitationem tue nequitie, *illa – inquam – fortis*, id est a Christi militibus insuperabilis, *ve ve*, id est duplex pena corporis et anime erit tibi. Et hoc non diu differtur, *quoniam iudicium tuum*, id est damnatio tua, *venit una hora*, id est in uno momento.

[Apc 18,11-17]

[136v] MAGISTER. Quod si spiritualiter hec omnia velimus intelligere, considerandum nobis est qui sint negotiatores isti qui de mundi ruina tanto-pere lugentes merces etiam suas amplius non emi conqueruntur. Ipsi profecto sunt qui pro terrenis acquirendis animas suas venales faciunt nec eas perdere metuunt tantum ut dignitates et divitias undecumque mercentur. Unde habeas – inquiunt – nemo querit, sed oportet habere. Quod miserabile mercatum, ut melius exerceant, et maxime in Ecclesia per ypocrisin, se in virtutibus studere simulant. Que figurantur per hec omnia que hic memorantur: in auro siquidem sapientia figuratur, de qua dicitur: «Accipite sapientiam sicut aurum» (Prv 16,16). In argento autem «Eloquia Domini, eloquia casta» (Ps 11,7). Per lapidem vero, cum singulariter ponitur, intelligitur ipse Christus, de quo dicitur: «Ecce pono in Syon lapidem summum, angularem, preciosum, electum» (I Pt 2,6), cum vero pluraliter, eius membra figurantur, quibus Petrus dicit: «Et vos tamquam lapides vivi superedificamini domos spirituales» (I Pt 2,5). Margariti etiam nomine in singulari numero Christus intelligitur, in plurali eius Apostoli, de quibus in hac Apocalypsi dicitur: *Et duodecim porte duodecim margarite sunt* (Apc 21,21). In byssو vero iustificationes sanctorum intelliguntur, in purpura martyrium, in serico virginitas, in cocco caritas, in ligno thyno ac precioso constantia durabilis, in ebore virtutum pulcritudo, in ere fortitudo vel longanimitas, vel certe predicationis sonoritas, in ferro subtilitatis acumen, in marmore invicta humilitas. Per cinnamomum autem et amomum odor intelligitur virtutum, per odoramenta thuris virtus orationum, per unguenta imitatio virtutum Christi, unde Ecclesia: «Odor unguentorum tuorum super omina aromata» (Ct 4,10). Per vinum vero intel-

ligitur intelligentia Scripturarum, que debriat et transitoria suadet oblivisci; per oleum unctio Spiritus sancti; per similam et triticum caro Redemptoris qua satiamur in altari. Iumenta quoque eorum significant humilitatem, qui dicunt: «Ut iumentum factus sum apud te» (Ps 73,22). Oves, simplicitatem et innocentiam. Equorum quoque vocabulo predicatores signantur, dicente propheta: «Viam fecisti in mari equis tuis» (Hab 3,15). Rhedarum etiam nomine predicatores exprimuntur, Helyseo attestante qui ascende Helya clamavit: «Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga eius» (II Rg 2,12). Mancipiorum quoque vocabulo illi exprimuntur, qui toto mentis desiderio Dei se subiciente servituti cum Propheta dicunt: «Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum et sicut oculi ancille in manibus domine sue, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri» (Ps 122,3). Has omnes virtutes plerumque reprobi habere se simulant, quas quia pro laudibus vanis, seu pro terrenis commodis exercent, non eas in conscientiis suis retinent, sed quasi negotiatores venales portant. Et quia non nisi transitorias laudes inde querunt, eterna procul dubio mercede se privant, unde bene dicitur quod sint etiam negotiatores animarum hominum, quia qui eiusmodi sunt, animas suas diabolo vendunt. Pereunte igitur mundo, negotiatores isti lugebunt, eo quod merces eorum nemo emet amplius, quia imminente iam iudice, nec ipsi ad hec agenda sufficient, nec qui eos laudet invenient. Unde sequitur: *Et poma tua et desideria anime tua discesserunt a te et omnia pingua tua et clara perierunt.* Prima virtutum opera significant, sicut habetur in Canticis: «Emissiones tua paradysus malorum punicorum cum pomorum fructibus» (Ct 4,13). Poma discedunt, cum hypocritis facultas operandi subtrahitur, desideria vero anime et pingua et clara pereunt, cum oleum peccatoris, id est favor adulantis, denegatur. *Qui divites facti sunt ab ea longe stabunt,* non corpore, ut dictum est, sed voluntate, noientes pati si possibile esset penam tormentorum eius, dicentque: *ve ve civitas illa magna, que amicta erat byssino* et cetera. Per civitatem homines intelliguntur divitiis dediti et voluptatibus resoluti. Neque enim civitas amicitur byssino et purpura, sed homines habitantes in ea. Hec civitas *ve* in corpore et *ve* in anima patietur, *quoniam una hora*, id est subito, in die iudicii destituentur, id est ad nichilum redigentur omnes mundi divitie.

### [Apc 18,20-21]

[138r] MAGISTER. Quid vero facient iusti? Quid nisi quod precipit Salvator, ruinam mundi predicens? Cum videritis – inquit – hec fieri, respicite et levate capita vestra. Ac si dicat: Cum ex mundi desolatione finem eius approximare cernitis, levate capita, id est exhilarate corda, quia cum finitur mundus cuius amici non estis, prope est redemptio quam quesistis. Unde bene hic

sequitur: *Exulta super eam celum et sancti apostoli et prophete, quoniam iudicavit Deus iudicium vestrum de illa.* Posita damnatione reproborum, ammonet sanctos ad exultationem, scilicet ut congratulentur divino iudicio. Vos – inquam – qui celum estis, id est qui celibem vitam adhuc in terra positi ducitis, audita reproborum damnatione, exultate. Exultate non de eorum miseria, sed de vestra beatitudine. Quid autem celum vocet determinat, id est sancti apostoli sub gratia et ante gratiam sancti prophete. *Exultate*, dico, *super eam*, vos scilicet semper fuisse bene operando, et quia iudicavit Deus iudicium vestrum de illa, hoc est illud iudicium quod anime sanctorum magno clamore querebant, dicentes: Usque Domine sanctus et verus non iudicas et vindicas sanguinem nostrum? Comparatione etiam modum damnationis ostendit dicens: *Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum et misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon illa magna civitas in infernum et ultra iam non invenietur.*

[Apc 18,22-24]

[138v-139r] MAGISTER. Angelus iste sustollens lapidem Christus est, qui impios lapidea corda habentes sublimari permittit in potentissimis, ut gravius demergat. Bene impii lapidi molari comparantur propter duriciam scilicet cordis et pondera peccatorum et quia semper mundana volventes et sectantes bonos conterunt sicut mola frumentum. *Hoc* – inquit – *impetu mittetur Babylon in infernum.* Et est sensus: tam velociter multitudo reproborum mittetur in profunditatem inferni et omnia que ad usum et iocunditatem pertinent auferrunt ab eis, quam cito molaris lapis descendit in profunditatem maris. *Et ultra iam non invenietur*, id est amplius redire non poterit ad terrena habenda, sicut quidam mentiuntur heretici, qui dicunt et gloriam iustorum et penam malorum post mille annos esse finiendam seculumque in eandem formam in qua modo apparebat reparandum. Adhuc eius miseriam enumerando exaggerat, ut ostendendo quod visu pulchrum, quod auditu canorum, tactu planum, odoratu suave, gustu delectabile, de seculo transiturum esse, nos ab eius amore compescat. *Et vox* – inquit – *cytharedorum et musicorum et tybia canentium et tuba non audietur in ea amplius et omnis artifex omnis artis non invenietur in ea amplius et vox mole non audietur in ea amplius, et lux lucerne non lucebit tibi amplius et vox sponsi et spouse non audietur adhuc in te, quia mercatores tui erant principes terre, quia in beneficiis tuis omnes gentes erraverunt.* Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est et omnium qui sunt interfecti in terra. De quinque sensibus solummodo sonum pretermiserat, quem nunc inter alia e mundo dicit auferri. *Vox* – inquit – *cytharedorum et musicorum et tybia canentium non audietur in te amplius, et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius*, o Babylon, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas. *Et vox mole non audietur in ea amplius.* Per molam iniqui iudices intelli-

guntur, qui in hoc mundo subiectos suos opprimunt per potentiam. Talibus non licebit ulterius suas promulgare sententias, sed iudicium durissimum in his qui presunt fiet et potentes potenter tormenta patientur (Sap 6,7). *Et lux<sup>50</sup> lucerne non erit in te amplius*, nulla lux omnino non lampadarum, non lanternarum, sed tenebre exteriores et horror sempiternus (Mt 22,13). *Et vox sponsi et spome non audietur in te*, nulla prorsus leticia, sed fletus et stridor dentium (Mt 8,12), dolor et tristitia, gemitus atque suspirium. Et addit: *quoniam mercatores tui erant principes terre*. Ac si dicat: merito destrueris, o Babylon, quia *principes terre*, demones, *erant mercatores tui*, id est ab illis emebas temporalem gloriam, dando illis animam tuam. Et ideo destrueris, *quia in beneficiis tuis erraverunt omnes gentes*, id est aliquos de gentibus in doctrinis tuis malis in quibus erat venenum errare fecisti. Nunc apostrophat se ad auditores: merito – inquit – destruetur, quia *sanguis prophetarum et sanctorum et omnium qui sunt imperfecti in terra inventus est in ea*.

**<CAPUT XIX>**

**[Apc 19,1-4]**

[139v] *Post hec audivi quasi vocem tubarum multarum in celo dicentium: Alleluia. Laus et virtus et gloria Deo nostro est, quia vera et iusta iudicia eius sunt, que iudicavit de meretrice magna que corrupit terram in prostitutione sua et iudicavit sanguinem servorum suorum de manibus eius. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus eius ascendet in secula seculorum.* MAGISTER. Alleluia non est vox alicuius lingue, sed est vox angelica, nec habet propriam interpretationem in aliqua lingua et significat Trinitatem. Per ‘alle’ Patrem, per ‘lu’ filium, per ‘ia’ Spiritum sanctum intellige. Nec simpliciter illam divinam substantiam significat, sed cum laude et illa ineffabili, unde bene tria subiciuntur in eius laude: *laus, virtus et gloria*. Laus scilicet Patri, pro humana reparazione, virtus Filio, pro bone nostre operationis virtute, gloria Spiritui sancto, pro testimonio bone conscientie. Quia hec tria sancta Trinitas in nobis operatur, ideo hoc angelicum alleluia pie et devote ab hominibus usurpatum. Hoc nunc ex parte dicit Ecclesia, tunc autem perfecte cum apertior erit vindicta. Audivit ergo Iohannes *quasi vocem magnam tubarum multarum*, id est magnam exultationem multorum fidelium exhortantium se invicem bono exemplo ad laudem Dei, sicut per tubam homines incitantur ad prelum. Que vox auditur in celo, id est in Ecclesia; *tubarum, dico, dicentium: Alleluia*, id est laudate Dominum. Et quid in hoc alleluia notandum sit, determinat subdens: *laus et virtus et gloria Deo nostro est*. Laus ex eo quod sumus laudabiles facti, cessando a malis operibus, et gloria ex

50. lux bis repetitur a.c. in M

eo quod sumus gloriosi facti bene operando, et virtus ex eo quod perseverare possumus in bonis operibus: non nobis sed Deo nostro ascribatur, sine quo nichil facere possumus. Et ideo dicendum est ei *alleluia*, quia vera et iusta iudicia eius sunt. Quasi dicant: Bene complebit quod nobis promisit de eterna gloria, qui tam iustus apparet in reproborum vindicta. In separatione malorum a bonis, iudicia eius vera sunt et quia reddet singulis prout meruerunt iusta sunt. Que iudicia iudicavit, id est quoniam damnationem fecit *de meretricie magna*, id est de predicta collectionem fidelium. Que vere meretrix dicenda est, quia corrupit terram, id est terrenos homines in prostitutione sua, id est malo exemplo suo. Prostibulum enim est aperta domus meretricum, unde et prostitutio dicitur. *Et vindicavit*, id est ultiōnem accepit de effusione sanguinis servorum suorum, requirens eum de manibus eius. Et quia sancti dupli stola corporis et anime glorificati sine fine laudabunt Deum, ideo iteraverunt *alleluia*. Anime sanctorum modo dicunt *alleluia*, sed et corpora eorum cum resurrexerint iterum dicent *alleluia*. Sed et nos in hac nostra peregrinatione nos invicem cohortantes dicamus omnes: *alleluia*, quia si hic claudaverimus Deum non lingua sed in vita nostra, in illa eterna patria iterum dicemus *alleluia*. Sancti laudabunt Deum in secula seculorum et fumus, id est tenebrosa et luctuosa pena Babylonis, non minuetur, sed ascendet indeficiens in secula seculorum. Unde hic dicitur: *Et fumus tormentorum eius ascendit in secula seculorum.*

[Apc 19,6-8]

[141r] MAGISTER. Ostensa leticia sanctorum de damnatione reproborum, nunc agit qualiter congaudent de consortio et adventu regni celorum. *Vox* igitur *tube magne* exultatio est sanctorum predicatorum sua predicatione quasi tuba alios ad spiritale certamen incitantium. *Vox aquarum multarum*, vox est exultantium populorum ad fidem vocatorum. Sequitur: *vox tonitruorum magnorum*, id est terrorēm infidelibus inferentium, quia valde terrebit impios sanctorum exultatio. He tres voces simul dicunt *alleluia*, et hoc *quoniam* – inquiunt – *regnavit* semper in nobis bene operantibus *Dominus Deus noster omnipotens* et damnare impios et remunerare pios. Et quia Deus in nobis regnavit, *gaudeamus* mente et *exultemus* corpore et omnia bona ab eo nos habere reputantes *demus gloriam ei*. Et vere gaudeamus, *quoniam* venerunt *nuptie Agni*, id est certum iam nobis factum est per divinam inspirationem quia cito veniet tempus quando Agnus Dei Christus sponsam suam, quam sanguine suo redemit et anulo fidei subarravit et que in hoc mundo fidem sibi servavit, in thalamum patrie celestis introducit. Et vere veniet, quia *uxor eius*, id est Ecclesia, uxor dicta propter fecunditatem spiritualium filiorum, ieunando et orando et aliis bonis operibus ad hoc *se preparavit* et cotidie preparavit se ut digna talibus

nuptiis inveniatur. Quem tamen ornatum a se<sup>51</sup> non habet, sed *datum est illi a Deo ut cooperiat*, id est ut ornet se, *byssino splendenti et candido*. Byssinum est candidissimum genus lini, sed ne forte de hoc byssino hic putares agi, quid hoc byssinum significet exponit subdens: *byssinum enim iustificationes sanctorum sunt*. Interim enim secundum presentem statum dat Ecclesie sue, ut eam sibi exhibeat non habentem maculam aut rugam (Eph 5,27). *Iustificationes*, id est iusta opera quibus ornata tali sposo non inveniatur indigna. Quod byssinum, id est que iusta vita splendens dicitur propter immunitatem vitiorum, candens propter nitorem virtutum, splendens ut luceamus proximis per bonam fama, candens ut Deo placeamus per bonam conscientiam. Utrumque enim precipitur: «Luceat lux vestra coram hominibus» (Mt 5,16) et «Attendite ne iusticiam vestram faciatis coram hominibus» (Mt 6,1).

### [Apc 19,9]

[141v] *Et dixit michi: Scribe. Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit michi: Hec verba Dei vera sunt.* MAGISTER. Non ad prandium<sup>52</sup> vocatos beatos dicit sed ad cenam. Ad prandium quippe nuptiarum Agni vocantur, qui in presenti Ecclesia congregantur, ubi multi vocantur sed pauci eliguntur (cfr. Mt 22,14). Ad prandium sedebat ille qui cum nuptiali veste non venerat; qui intrante rege, ut videret discumbentes, audivit: «Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At illo obmutescente rex ministris: Ligatis manibus eius et pedibus proicite eum in tenebras exteriores» (Mt 22,12-13). Beati ergo qui sic ad prandium vocantur, ut a cena, id est ab illo ultimo et eterno convivio, non sequestrentur. Ipsi nimurum sunt qui ad vitam eternam predestinati sunt, qui sic in presenti Ecclesia conversantur, ut finito presentis vite tempore ad refectionem superne contemplationis perveniant. O cena desiderabilis, in qua qui manducaverint panem, vivent in eternum. Qui vero ferculorum delicias enarrare sufficiat? Sicut scriptum est: «Oculus non vidit nec auris audivit et in cor hominis non ascendit que preparavit Deus diligentibus se» (I Cor 2,9). Quis illud estimet quod sponsus ipse precinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis? (Lc 12,37) Receptis quippe cum incorruptione atque immortalitate corporibus, municipatum patrie celestis accipient atque eius in eternum cives effecti promissa premia reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta leticia, tanta celestium gloria gaudiorum ut Remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant et nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptione sustineant. Ibi non latebit beatos convivas aliquid divinorum secretorum, qui, quod felicissimum est, ipsum visuri sunt mundis

51. a se] ornatum *add. et post del.* M

52. prandium] sed ad cenam *add. sed post del.* M

cordibus Deum. *Beati ergo, qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt.* Et ut maiorem exhortationem faciat, dicit hec verba Dei esse et quia Dei ideo vera. *Hic – inquit – verba Dei mittentis sunt et ideo vera sunt.* Ne dubites ea scribere, quia implebuntur omnia, sicut audisti. Quid autem fecerit Iohannes audiamus exemplo suo nos instruens, quod doctoribus nostris debeamus humiliari.

[Apc 19,15-16]

[144r] MAGISTER<sup>53</sup>. *Ut in ipso percutiat gentes, scilicet terrendo eos a vitiis et revocando ad virtutes, sicque conversos reget eos in virga ferrea.* Virga ferrea intellegitur doctrina invincibilis, iusticia inflexibilis et fortitudo invicta. Hinc psalmista ad ipsum dicit: «Virga equitatis virga regni tui» (Hbr 1,8). Et quasi exponendo quid esset hec virga subdit: «Dilexisti iusticiam et odisti iniquitatem» (Ps 44,8). Hac virga reguntur fideles. *Et ipse calcat torcular vini furoris ire Dei omnipotentis et habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.* Ipse qui regit suos in virga ferrea *calcat torcular*, id est persecutores Ecclesie qui vocantur torcular, quia fideles premunt, electis suis contemptibiles et calcabiles reddit. *Torcular*, dico, *vini*, id est fidelium, qui tamquam vinum optimum digni sunt ponи in cellaria regis eterni. Et sicut in torculari vinum separatur ab acinis, ita electi per pressura seculi separantur a malis. Quod torcular est *furoris*, id est qui persecutores participes erunt damnationis eterne. *Furoris* dico *ire Dei omnipotentis*, id est que damnatio ab irato Deo, qui eos damnare potest, in eos procedet. Et quia talis est in regendis iustis et damnandis iniustis, *habet scriptum*, id est eternaliter positum in vestimento, id est in humanitate sua vel in passione sua per quam nos regeneraverit in spem vite. *Rex regum*, id est bonorum qui se bene regunt in hoc seculo et *Dominus dominantium*, id est malorum qui dicuntur dominantes, quia nolunt servire Christo. Reges dicuntur humiles, servientes ei cui servire regnare est, damnantes vero per antifrasum, id est per contrarium, dicuntur superbi, qui nolentes subici Christo serviunt diabolo. Sed velint, nolint, Dominus eorum Christus est, cui data est omnis potestas in celo et in terra (cfr. Mt 28,18), cui flectitur omne genu celestium, terrestrium et infernorum (cfr. Phil 2,10). Cum enim iustos affligunt et per hoc purgatos a peccatis divina retributione dignos efficiunt, quid, nisi Christo serviunt? Per eos flagellat Deus omnem filium quem recipit (Hbr 12,6), cum tamen eternaliter in cenoso et putenti lacu inferni ab eo qui calcat torcular sint conculcandi. Aliter: Torcular mors intelligitur. Torcular ergo Christus calcavit, quia mortem superavit. Quod *torcular* appellatur *vini furoris ire Dei omnipotentis*, quia propter peccata quibus

53. magister in marg. M

*homo promeruit iram Dei Christus mortuus est. Et habet in vestimento et in femore suo scriptum Rex regum et Dominus dominantium.*

[Apc 19,17-20]

[144v] *Et vidi alium angelum stantem in sole et clamavit voce magna dicens omnibus avibus que volabant per medium celum: Venite, congregamini ad cenam magnam Dei, ut carnes regum manducetis et carnes tribunorum et carnes fortium et carnes equorum et in ipsis sedentium et carnes omnium liberorum et servorum pusillorum ac magnorum.* MAGISTER. Sol in sacro eloquio aliquando fervorem tribulationum significat, quas sancti patiuntur in hoc mundo. Et bene per solem sanctorum exprimitur tribulatio, quia quanto magis premuntur, tanto clarus lucent et liberiūs predican. Angelus igitur in sole stans Christus est, cum suis in tribulationibus perseverans et adhuc dicens: «Quid me persequeris?» (Act 9,4). Sicut ipse promisit dicens: «Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi» (Mt 28,20). Qui bene unus dicitur quia nullius auxilio indiget. *Et clamavit voce magna omnibus avibus que volabant per medium celum,* id est spirituali ammonitione predicavit omnibus electis per fidem et spem et ceteras virtutes ad ipsum in celesti patria volantibus. Et bene virtutes medium celum vocantur, quia homines Deo iungunt. Dicit ergo: O vos aves, id est o vos sancti, fide et spe pennati, *venite ad me bene operando.* *Congregamini ad cenam magnam Dei,* id est ad hoc bona opera facite, ut quandoque possitis congregari ad eternam refectionem quam vobis Deus preparavit. Que bene cena vocatur, quia nullus labor eam sequetur. *Congregamini,* dico, ut ibi *manducetis carnes regum* et cetera. Carnes regum et tribunorum et ceterorum quos hic enumerat, significant delectationes quas in hoc mundo reges, tribuni et ceteri mundi dilectores habent, qui per fortes, id est superbos, et per equos, id est luxuriosos qui equi emisarii insanientes in feminas facti sunt (Ier 5,8), et per sessores eorum, id est magistros errorum qui eis tamquam brutis animalibus insidentes ad quodlibet facinus impellunt, et per liberos, de quibus dicitur: «Vir vanus in superbiam erigitur et quasi pullum onagri se liberum natum putat» (Iob 11,12), et per servos, scilicet vitiorum, et per pusillos animo, et per magnos, id est qui sibi videntur magni, designantur, de quorum pena delectabuntur sancti iusto Dei concordantes, sicut scriptum est: «Letabitur iustus, cum viderit vindictam» (Ps 57,11). Horum itaque carnes sanctis manducare est, eorum delectationes dijudicando damnare et annullare. Vel ita intellige dictum: *congregamini ut manducetis carnes regum et tribunorum et fortium et equorum et in ipsis sedentium et liberorum et servorum et pusillorum et magnorum,* id est carnales delectationes in omni conditione hominum vestra predicatione destruete, ut et ipsi digni sint ad cenam Dei vobiscum venire. Sic et Petro dictum est: «Macta et manduca» (Act 11,7), id est carnalem vitam in eis occide

et in corpus tuum quod est Ecclesia traice. Quod maxime in fine seculi futurum est, quando ad predicationem Helye et Enoch diverse hominum qualitates et Iudeorum et gentilium convertentur ad Christum. Unde et hunc angelum stantem in sole Helyam et Enoch non incongrue intelligimus, qui fervente antichristiana persecutione Christum aperte predicabunt, dicentes *omnibus avibus*, id est omnibus sanctis qui cum Apostolo dicere possunt: «*Nos tra conversatio in celis est*» (Phil 3,20), *venite ad cenam magnam Dei omnipotentis*, venite ad sollempne totius ecclesie conventum, venite ad eternam omnium fidelium refectionem, venite qui esuritis et sititis iusticiam (*cfr.* Mt 5,6) ad epulas regis eterni, ubi superborum furore depresso, divine iusticie luce saturemini. Nec dicitur vobis ut veniatis soli, sed ut manducetis carnes regum et tribunorum sicut expositum est, id est de omnibus qualitatibus et conditionibus hominum ad fidem convertite et vobis incorporate. Et quia ad hanc cenam properantes conatur pars iniqua nocere, ideo apte subiungitur: *Et vidi bestiam et reges terre et exercitus eorum congregatos ad faciendum prelum cum illo qui sedebat in equo et cum exercitu eius*. Quasi diceret: Multum debetis esse solliciti et videre quomodo caute ambuletis, quoniam diabolus paratus est resistere vobis. Quem tamen Dei auxilio vincere poteritis. Sequitur enim: *Et apprehensa est bestia et cum illa pseudopropheta qui fecit signa coram ea quibus seduxit eos qui acceperunt caracterem bestie et qui adoraverunt imaginem eius. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardantis sulphure*.

### [Apc 19,21]

[146r] MAGISTER. Qui male vivendo manifesta membra diaboli fiunt, bestie, id est diaboli, caracterem portant; qui vero discipulos eius venerantur imaginem eius adorant. Bene enim heretici qui diabolum predicanter eius imago dicuntur, quia male docendo et male operando ita principem suum representant in seipsis<sup>54</sup>, sicut imago depicta mortuum hominem representat. Hi etiam cum suo capite *vivi*, id est scientes se peccasse, *mittentur in stagnum*, id est in statoriam et eternam penam, *ignis, infernalis, ardantis sulphure*, qui ideo sulphure ardere dicitur, quia fetida malorum opera punit. Sequitur: *Et ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum qui procedit de ore ipsius et omnes aves saturate sunt de carnibus eorum*. Alii scilicet mali qui modo occulti sunt, simulantes se membra Ecclesie et non sunt, quia confitentur ore, factis autem negant, *occisi sunt in gladio sedentis super equum*, id est damnabuntur in corpore et anima manifesta sententia Domini apparentis in iudicio, in humanitate sua. An non gladius terribilis ille sermo, quem sunt audituri? Gladius plane est, utraque

54. semetipsis a.c. M

parte acutus et corpus et animam occidens in Gehennam (*cfr.* Mt 10,28). Iste gladius de ore Dei procedit, quia et in iudicio dicturus est eum iudex et nunc a predicatoribus sanctis qui sunt os eius predicatorum.

«**CAPUT XX**»

**[Apc 20,2-3]**

[147r] MAGISTER. Sciendum est quod similiter in Abraham et in aliis Veteris Testamenti fidelibus ligatus fuit<sup>55</sup>, sicut in presentibus. Et quod in nobis agit ipse Christus, hoc in illis spes futuri Christi. *Ligavit ergo eum per annos milles*, id est eius potestatem a seducendis hominibus qui liberandi erant cohibuit. Quam si tota vi permitteretur exercere, in tam longo tempore plurimos infirmorum deciperet. *Et misi eum in abyssum*, in corda utique reproborum, qui sunt tenebrosi in vitiis et in dolositatis astucia profundi, non quia in eis diabolus ante non erat, sed quia, exclusus a credentibus, amplius cepit impios possidente. Qui non solum alienantur a Deo, verum etiam gratis odiunt servientes Deo. Quod et Dominus visibiliter ostendit, cum, de hominibus demonia eiciens, porcos eis concessit (*cfr.* Mt 8,30-32; Mc 5,11-13). *Et clausit*, id est potestatem egrediendi ei interdixit, ne gressum nequitie extendat, nisi quo occultum et iustum Dei iudicium permiserit. *Et signavit*, id est sigillavit, id est signo crucis fidelibus impresso, velut regalis sigilli auctoritate eum a non necessaria temptatione preclusit<sup>56</sup>.

**[Apc 20,5-8]**

[148v] MAGISTER. Prima resurrectio anime est, quando a vitiis ad virtutes resurgimus et in eis vivimus, secunda in die iudicii, quando felices resurgent in carne, qui in hac vita a mentis sue morte resurrexerunt. Et certe hec resurrectio multum est<sup>57</sup> appetenda fidelibus, nam *beatus*, bene auctus gloria immortalitatis et impassibilitatis erit, et *santus*, id est confirmatus in laude Dei in celesti gloria, *qui habet partem in resurrectione prima*. Nam in his qui ita resurgunt *mors secunda*, id est damnatio corporis et anime, *non habet potestatem*, *sed erunt sacerdotes Christi et Dei*, id est quia ad exemplum Christi se mortificaverunt, idcirco Deo Patri sacrificium continue laudis in illa celesti patria se ipsos offerent. Nec de solis episcopis et presbiteris dici putemus, qui propriocitantur in Ecclesia sacerdotes, quia sicut dicimur omnes christiani propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sumus unius

55. *fuit*] est a.c. M

56. *preclusit*] *preclausit* M

57. est *inter lin.* M

sacerdotis. Hinc apostolus Petrus ait: «Vos estis genus electum, regale sacerdotium» (I Pt 2,9). Vide quia non solum sacerdotes, sed et reges sunt omnes electi. *Reges*, quia motus voluntatum suarum secundum voluntatem Dei regunt, *sacerdotes* quia se ipsos hostiam vivam, sanctam, Deo placentem offerunt. Nec solum in presenti vita, sed magis in alia *reges et sacerdotes erunt*, quando et Creatorem suum perpetuo sacrificio laudis honorabunt et cum Christo sine fine regnabunt. Unde et hic dicitur: *et regnabunt cum eo mille annis*, id est in perpetuum, quod designatur per mille, qui perfectus numerus est. Regnum et gloria sanctorum finem non habent, sicut nec reproborum supplicia, ut quidam heretici volunt, sed sicut ait ipsa Veritas: «Ibunt impii in suppl*ci*um eternum, iusti autem in vitam eternam» (Mt 25,46). Nunc ad Antichristum reddit. Sequitur: *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Sathanas de carcere suo et exibit et seducet gentes que sunt super quatuor angulos terre, Gog et Magog; et congregabit eos in prelum, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem<sup>58</sup> terre et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam.* Illud scilicet tempus quod est a passione Domini usque ad tempora Antichristi, cum consummatum fuerit, tunc *solvetur Sathanas de carcere suo*, id est de cordibus reproborum in quibus modo ligatus est. Tunc permittitur ei potestas seviendi, tunc recipiet potestatem qua spoliatus est in passione Christi. *Et exibit*, id est ad apertas persecuciones de latebris erumpet odiorum *et seducet* precipue per illum damnatum hominem quem assumet et per pseudoprophetas suos omnes *gentes que sunt super quatuor angulos terres*, id est omnes gentiliter viventes, qui quatuor elementis abutuntur. Et specialiter duos populos nominat: *Gog* scilicet *et Magog*, quos quidam putant aquilonares esse nationes, id est Getas et Massagetas, qui Scanzam insulam inhabitant. Quidam dicunt eos esse qui, ab Alexandro in montanis conclusi, in tantum multiplicati sunt, ut viginti quatuor regna de se emiserunt. Hi – ut aiunt – tunc solventur et primi<sup>59</sup> ab Antichristo seducentur. Allegorice vero per Gog et Magog intelliguntur omnes mali: per Gog scilicet, qui interpretatur ‘tectum’, omnes diabolum tegentes in corde et latenter nocentes Ecclesie; per Magog, qui interpretatur ‘de tecto’, designantur hi de quibus tamquam de propria domo egreditur diabolus, ut seviat aperte. Gog significat latentes inimicos, sicut sunt heretici et hipochrite, Magog apertos, sicut sunt tyranni et aperti persecutores Ecclesie. Hos non solum seducet, sed *et congregabit eos in prelum contra fideles, quorum numerus est sicut arena maris*, quia reprobri infructuosi sunt et instabiles et innumerabiles, qui etiam digni non sunt sub numero comprehendi. *Et ascenderunt* – inquit – *super altitudinem terre*, id est illos qui tument pro terrenis rebus, qui temporales

58. latitudinem] altitudinem a.c. M

59. primi] tunc add. et post del. M

gazas magnam putant esse dignitatem, superabunt. Unde bene in quibusdam codicibus habetur *super latitudinem terre*, quia superbi latam et spaciosem viam que dicit ad mortem incedunt. *Et circuerunt castra sanctorum*, id est corpora fidelium in quibus Deo militant corrumpere nitentur, *et civitatem dilectam*. Ac si dicat: Corpora quidem sanctorum invadent, sed non prevalebunt, quia virtutibus et Deo protectore muniti civitas a Deo dilecta sunt.

[Apc 20,11]

[150r] MAGISTER. Qualiter autem illud iudicium debeat fieri, manifestat se vidisse, ita dicens: *Et vidi thronum magnum candidum et sedentem super eum, a cuius conspectu fugit terra et celum et locus non est inventus ab eis.* Thronus iste multitudo sanctorum intelligitur, magna meritis et numero, et candida impassibilitate et immortalitate, cui semper insedit et tunc in iudicio presidebit Deus, iudicans in equitate. Dicit ergo: *vidi thronum magnum candidum et sedentem super eum.* Ac si diceret: vidi multitudinem sanctorum ad iudicium venire et vidi *sedentem super eum*, Christum scilicet, qui in hoc mundo sedet super electos suos, bonis operibus eorum delectando, et in futuro sedebit<sup>60</sup> super eos regnando et glorificando eos. A *cuius conspectu*, Domini scilicet, id est cuius voluntate, *fugit terra et celum*, id est terra et aer, que modo servient malis ad corruptionem, mutabuntur in alium statum et ita mutabuntur, *quod locus non est inventus ab eis*, id est a terra et aere, quia montes et valles et edificia non invenientur in terra, nec talia corpora sustinebit, qualia modo sustinet; et aer non erit ita varius, modo lucidus, modo obscurus, modo nox, modo dies, sicut modo est.

[Apc 20,14-15]

[151r] MAGISTER. Hec ergo damnatio corporis et anime, *hec est mors secunda*, qua morietur omnis qui non *est scriptus in libro vite*, id est qui non est destinatus ad vitam. Summopere etiam caveri debet mors prima, que est peccare, per quam pervenitur ad hanc secundam, que est eterna damnatio corporis et anime. Finito vero iudicio quo malos vident damnados, restat ut de bonorum gloria iam dicat.

**EXPLICIT VISIO SEXTA. INCIPIT SEPTIMA.**

**«CAPUT XXI»**

*Et vidi celum novum et terram novam. Primum enim celum et prima terra abiit, et mare iam non est.* In hac septima visione ostendit<sup>61</sup> futuram glorificationem

60. sedebit] sededit M

61. ostendit] ostendet a.c. M

universalis Ecclesie et quod in hoc mundo accipiat, per quod ad futuram gloriam perveniat. Agit etiam de innovatione elementorum et de glorificatione sanctorum, demonstrans merita per que sunt glorificandi. Tractat etiam de beatitudine, ut sicut liber suus incepit a beatitudine, sic in beatitudine finiatur. Sic ergo continua. Postquam vidi damnationem malorum, *vidi celum novum*, id est aerem mutatum, *et terram novam*, id est mutatam in digniorem statum ad gloriam sanctorum.

[Apc 21,2-4]

[152r] MAGISTER. Bene ergo hec civitas de celo descendere dicitur, quoniam celestis est gratia qua Deus eam sic ornavit, ut tanto ac tali sponso placaret. Est enim altera Ierusalem que non viro suo ornatur, sed adultero. Huius vero Ierusalem, que a Deo paratur, que sponsi sui absentiam deplorat, presentiam desiderat, ipse Dominus erit in eternum Deus, cum Deus ipse electis erit eterne beatitudinis premium et ab ipso possessi ipsum possidebunt in eternum. In illa civitate tam celsa de Dei munere claritas apparebit, ut nulla remaneant ibi vestigia vetustatis, quandoquidem et corpora celestis incorruptione sublimabit et mentes eterni regis intuitus satiabit. Et quia numquam ab eius presentia separabuntur, ideo apte sequitur: *Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, et mors ultra non erit neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, que prima abierunt.* Unde enim ibi lacrime, cum nulla supersit causa lacrimarum? Nulla senectus ibi, nec senectutis miseria, non infantie imbecillitas, nec puerilis lascivia, sed occurremus omnes in virum perfectum, in mensuram etatis plenitudinis Christi (Eph 4,13). *Mors neque corporis neque anime neque luctus pro aliqua perturbatione, neque clamor pro tribulatione, neque dolor ex peccatorum recordatione vel ex reproborum damnatione.* *Que prima abierunt*, ac si dicatur: Iam non est locus istorum, *que*, id est quia, *prima*, id est ea que in priori statu<sup>62</sup> Ecclesie sunt, *abierunt*, peccatum scilicet a quo hec omnia.

[Apc 21,5-7]

[152v] MAGISTER. *Et dixit qui sedebat in throno: Ecce ego facio omnia.* MAGISTER. Ne quis forte tam magne et tam necessario sciende rei incredulus existeret, eius auctoritate hoc affirmat qui mentiri non novit, quique eos in quibus tamquam in throno residet sanctos, scilicet veraces, facit. Ac si diceret: Etsi michi forte non creditis, ei qui per me loquitur credite, quia et quicquid michi ostensum est de hac innovatione, ad utilitatem vestram est, si

62. statu bis repetitur a.c. in M

illam satagitis obtinere. *Ecce, ait, nova facio omnia*, iudicatis quippe his qui scripti non sunt in libro vite et in eternum ignem missis. Qui ignis, cuius modi et in qua mundi vel rerum parte futurus sit neminem scire arbitror, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit. Tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione preteribit sicut factum est mundanarum aquarum mundatione diluvium. Illa itaque ut dixi conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates que corporibus nostris corruptibilibus congruebant ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit que corporibus immortalibus mirabili mutatione convenient, ut scilicet mundus innovatus in melius apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis. Resurgent enim sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate, in quibus erit tanta facilitas ut spiritualia dicantur, cum procul dubio corpora sint et non spiritus. Nam sicut nunc animale corpus dicitur, quod non anima sed corpus est, ita tunc spirituale corpus erit. Corpus tamen non spiritus erit. Tanta autem tunc erit concordia carnis aut spiritus ut nichil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiemur inimicos. O quanta felicitas ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum! Vacabitur ibi Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus (*cfr. I Cor 15,28*). Tanta erit corporum agilitas, ut ubi volet spiritus illic continuo sit corpus, nec volet aliquid spiritus quod nec spiritum possit decere nec corpus. Vera gloria ibi erit, vera pax, verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno. Premium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, qui seipsum, quo melius nichil maiusve potest esse, promisit. Quid enim est aliud quod dixit: «Ego ero illis Deus et ipsi erunt michi populus» (*II Cor 6,16*), nisi: Ego ero unde satientur, ego ero quecumque ab hominibus honeste desiderantur et vita et salus et virtus et copia et gloria et honor et pax et omnia bona? Domine Deus, tu eris finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videberis a nobis, sine fastidio amaberis, sine fatigazione laudaberis. Erit in illa civitate et illud beatum quod nulli superiori nullus inferior invidet, sicut non invident archangelis angeli. Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi scire nostrum non habebit offensionem. Erit ergo hac beata novitate innovatis et una in omnibus et inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata et impleta omni bono, fruens indesinenter eternorum iocunditate bonorum. Et quia ad utilitatem totius Ecclesie hec Iohanni ostendebantur, ideo sequitur: *Et dixit michi: Scribe quia hec verba fidelissima sunt et vera. Et dixit michi: Factum est. Ego sum A et Ω, initium et finis. Ego sitienti dabo fontem aque vive gratis. Qui vicerit possidebit hec et ego ero illi Deus et ille erit michi filius. Scribe*, inquit, in memoria scilicet et in libro, ut ad noticiam perveniant posteriorum. Et secure potes ea scribere, quia hec verba fidelissima sunt, id est fide dignissima, quia

profecto *vera sunt*. Et dixit michi: *Factum est*. Ac si dicat: Noli dubitare quod innovem omnia, sicut dixi tibi, quia iam in mea predestinatione factum est. Ego sum enim qui feci que futura sunt. Et revera facere possum hec omnia, *quia ego sum A et Ω, principium et finis*. Ego creavi omnia, ego innovabo omnia, a me ceperunt omnia, in me consummabuntur omnia. Que cum ita sint, quare non properamus? Misericordia filii hominum, ut quid tantum diligitis peritum seculi vanitatem? Quare non magis desideratis hanc sine fine mansuram beatam novitatem? Et quasi aliquis diceret: Quid interim dabis nobis, dum adhuc in hac peregrinatione sumus? *Ego*, inquit, *sicuti*, id est desideranti me, *dabo fontem aque vive gratis*, id est me ipsum qui sum principium totius beatitudinis et sempiterna omnium sanctorum refectio. De hoc fonte irrorat nunc credentes in via, quem *vincentibus ubertim hauriendum* prebet in patria, utrumque autem gratis. Gratia enim Dei vita eterna in Christo Iesu Domino nostro (Rm 6,23) et de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia (Io 1,16). Eya ergo milites Christi, instate fortiter, pugnate viriliter, quoniam qui vicerit possidebit hec. *Qui vicerit*, id est qui perseveraverit amando, desiderando, querendo, petendo, pulsando vel qui temptationa diaboli et carnis incentivata superaverit, *possidebit hec*, me ipsum scilicet, immortalitatem, incorruptionem et beatam innovationem firmiter obtinebit. *Et ero illi Deus*, id est eterna societas et beatitudo sempiterna, *et ipse erit michi filius*, hic quidem per fidem, illic autem per manifestationem. Qui propter hanc beatam spem omnia reliquistis audite: «Si filii et heredes quidem Dei, coheredes autem Christi» (Rm 8,17). Unde et idem<sup>63</sup> Iohannes in epistola sua dicit: «Dilectissimi nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est» (I Io 3,2). Sed o beate Iohannes, quid dicis de his qui pro sui teneritudine sanctitatis arripere vias trepidant, vel qui mox ut temptari ceperint a bono proposito resiliunt?

### [Apc 21,8-11]

[154r] MAGISTER. Timidi sunt qui sine timore mortis seu pro verecundia fidem profiteri trepidant, qui etiam sunt increduli, quia de resurrectione vel de eterna retributione dubitant. Homicide vero sunt, non solum qui homines interficiunt, sed etiam qui odium in corde retinent, quia qui odit fratrem suum homicida est (I Io 3,15). Fornicatores porro sunt illicite concubentes. Est etiam spiritualis fornicatio cum immoderate res terrena diliguntur, vel cum plus creatura quam creator amatur. De primis dicit Aposto-

63. idem] isdem M

lus: «Fornicatores et adulteros iudicabit Deus» (Hbr 13,4). De secundis Psalmista: «Perdidisti omnes qui fornificantur abs te» (Ps 73,27). *Et omnibus – inquit – mendacibus*, quibus scilicet mentiri est in usu, vel quod promittunt Deo non observantibus. Quid vero censendum de mendacio obstetricum Egipti, vel Raab meretricis? Sed sciendum quod hec mendacia purgavit opus pietatis et misericordie, quia peius fuisse si aut ille parvulos hebreorum encassent, aut ista exploratores Iosue proderet ut perirent. Unum tamen firmiter debemus retinere, nullum mendacii genus inultum remanere, nisi diluat tur aut penitentia aut aliquo pietatis opere. Omnia autem istorum qui superius commemorati sunt *pars erit in stagno ardenti igne et sulphure*, id est in profunda inferni damnatione, *quod est mors secunda*, id est damnatio corporis et anime. Sequitur: *Et venit unus de septem angelis habentibus phyalas plenas septem plagis novissimis et locutus tecum dicens: Veni ostendam tibi sponsam uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum et ostendit michi civitatem sanctam Ierusalem descendenter de celo habentem claritatem Dei.* Celestem Ierusalem describere incipit, cuius cives sunt omnes electi, ostendens quo merito vel auxilio ibi sint perventuri et per Iohannem nobis, ut tanta dulcedine capti, ardenter ad eam festinemus.

### [Apc 21,10-11]

[154v] MAGISTER. De celo descendit quia vivendi ordinem quo se Deo placitam exhibeat inspicere debet in eo qui propter ipsam de celo descendit. Qui enim dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (I Io 2,6). Unde et Moysi precipitur ut construat tabernaculum secundum exemplar sibi in monte ostensum (*cfr. Ex 25,40*), quia si Dei tabernaculum esse volumus, ei monti nos conformare debemus, de quo dicit Ysaias: «Erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in verticem montium» (Is 2,2), id est Christus, princeps omnium electorum, preparatus, id est quasi exemplar nobis propositus et ad adiuvandum promptissimus. Bene quod additur: *habentem claritatem Dei*, quia divina claritate vere illuminatus est, in quo talis vita refulget. Tunc enim vere decora cernitur Ecclesia, quando per sponsum, quo eius sponsus conceptus creditur et genitus, imaginem videtur portare celestem. Unde apte subditur: *Lumen eius simile lapidi precioso, tamquam lapidi iaspidi et sicut cristallum.* Ecce ostendit quare dixerit Ecclesiam habere claritatem Dei, quia *lumen eius*, id est ipsa lucens pro modo suo similem se exhibet Christo, qui est lapis pretiosus, qui in Evangelio ait: «Pater claritatem quam dedisti michi dedi eis» (Io 17,22). Lapidi igitur precioso comparatur, quia firma est in omni bono proposito et lucens in splendore virtutum. *Iaspidi* qui est durus et viridis, quia viret fide et in ea firma est, *cristallo* pro interna mentis puritate.

## [Apc 21,12]

[155r] *Et habebat murum magnum et altum, habens portas duodecim et in portis angulos<sup>64</sup> duodecim et nomina inscripta que sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.* MAGISTER. Murus Ecclesie sancti predicatorum sunt, qui Ecclesiam doctrinis et orationibus muniunt, qui fide, spe et caritate firmati, inexpugnabiles existunt. Potest et ipse Dominus Ecclesiam undique protegens murus magnus et altus intelligi, de quo Ysaias ait: «Ponetur in ea murus et antemurale» (Is 26,1), id est Domini protectio et sanctorum intercessio. Habet et *portas duodecim*, id est prophetas, qui primi ad cognitionem vere lucis nos introduxerunt, qui dicuntur duodecim propter fidem sancte Trinitatis quam in quattuor mundi partibus predicandam, licet obscuris verbis predixerunt. In quibus portis anguli duodecim sunt, id est apostoli qui predicationem suam prophetarum dictis confirmaverunt. Qui bene dicuntur anguli, quia duos populos, iudaicum scilicet et gentilem, in unitatem fidei convinxerunt. Vel per angelos sanctos heremita et monachos intelligere possumus, qui dum consortia hominum et popolorum frequentiam fugiunt, quasi in angulo soli Deo vivunt. *Et nomina scripta* que sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel, id est nominabilia facta precedentium patrum semper in memoria scripta retinet, ut per hec eos imitetur.

## [Apc 21,13]

[155v] MAGISTER. Qualiter autem huius sancte civitatis porte dispositae sunt aperit cum subiungit: *Ab oriente porte tres, ab aquilone porte tres et ab austro porte tres et ab occasu porte tres.* Hac portarum descriptione duodenarii numeri mysterium indagatur quo vel summa apostolorum vel Ecclesie perfectio figuratur, eo quod per eam orbi quadrato sancte Trinitatis fides intimatur. Omnibus ergo patet sancta civitas, nulli religioni, nulli etati clauditur. Nam *ab oriente*, id est ab ipsa infantia, vel *ab aquilone*, id est a senectute, vel *ab austro*, id est a iuventute, vel *ab occasu*, id est ab ipsa decrepita etate ad eam venientibus patet, tantum ut apostolica doctrina fides sancte Trinitatis eis aperiatur.

## [Apc 21,14-16]

[156r] *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum et Agni.* MAGISTER. Superius diximus predicatorum esse murum Ecclesie, modo ostenditur qualiter murus iste fundatus sit. Magnum – inquit – robur fidei quam Deus in hoc mundo sue contulit Ecclesie, nam *murus eius*, id est sancti viri qui eam defendunt doctrinis et orationibus suis,

64. angulos] vel angelos *inter lin.* M

*habens*<sup>65</sup> *fundamenta* prophetas, quorum scriptis et auctoritate Novi Testamenti predicatione fundatur. Qui dicuntur *duodecim* propter fidem sancte Trinitatis quam quadripartito orbi quatuor Evangelii predicandam predixerunt. Et in ipsis prophetis sunt nomina apostolorum, quia fidem quam percepérunt apostoli habuerunt et illi. In ipsis etiam erat nomen Agni, quia sicut de Christo predixit Ysaias: «Tamquam ovis ad occisionem ducetur» et «sicut agnus coram tondente se obmutescet» (Is 53,7), sic factum esse de ipso Petrus apostolus predicit dicens: «Qui cum malediceretur non maledicebat, cum patetur non comminabatur. Tradebat autem iudicanti se iniuste, qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum et livore eius sanati sumus» (I Pt 2,23-24). Nobis etiam hoc nomen agni inesse debet, scilicet ut sicut a Christo Christiani vocamur, ita semper eius vestigia sequemur, scientes quia sicut Christus pro nobis animam posuit, ita et nos debemus pro fratribus animas ponere. «Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare» (I Io 2,6). Et quia superius dixerat hanc sanctam civitatem quam describit habere claritatem Dei, ne putemus tam perfecte ut Deus, sed ad mensuram quam in hoc mundo a Deo accepit, scilicet secundum uniuscuiusque merita, ideo subdit: *Et qui loquebatur mecum habebat mensuram harundinem auream, ut metiretur civitatem et portas eius et murum. Et civitas in quadro posita est et longitudo eius tanta est quanta et latitudo.* Quasi dicat: Civitatem tam claram, tamquam munitam vidi, non tamen omnes cives eius equales sed suo modo unumquemque perfectum vidi.

[156v] MAGISTER. Hanc harundine metitur civitatem, quia singulis dat intelligentiam Scripturarum secundum suam capacitatem. Metitur et portas, id est predicatorum qui alios introducunt ad fidem, metitur et muros, id est oratores qui sunt defensores aliorum, quia scilicet non potest homo a se ipso accipere quicquam, sed de plenitudine Christi omnes accipiunt. *Et civitas – inquit – in quadro posita est,* habens scilicet quattuor equalia latera: fidem, spem, caritatem et operationem. Que dicuntur equalia, quia quantum fidelis quisque credit, tantum sperat, quantum sperat tantum diligit, quantum diligit tantum operatur. Vel quadrum dicamus quattuor principales virtutes: prudentiam scilicet, temperantiam, fortitudinem, iusticiam. His quattuor virtutibus quelibet fidelis anima quadratur ne quasi volubilis hac vel illac temptationibus impellatur. Prudentia namque bonum a malo discernit, temperantia declinat a malo, fortitudine bonum viriliter agit et mala per patientiam vincit, iusticia unicuique ius suum reddit. Hac etiam virtute sic suos actus temperat ne quid nimis vel minus faciat, seu ne nimis iustus vel plus quam oportet sapiens appareat. Modo quadraturam exponit: *longitudo eius,*

65. *habens]* habent M

inquit, *tanta est quanta est latitudo*. Ecce quia nulla sinimus in equalitate notari si volumus esse civitas Dei. «Gaudete – ait Apostolus – perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete», quod vere est in soliditate quadra subsistere, «et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum» (II Cor 13,11).

### [Apc 21,17-18]

[158r] MAGISTER. *Mensura* – inquit – *hominis que est angeli*. Quasi dicat: Non mirum si hominibus gratia Dei datur ad mensuram, quia et angelis. Sequitur: *Et erat structura muri eius ex lapide iaspide, ipsa vero civitas auro mundo simile vitro mundo. Ipsa vero civitas*, id est tota simul Ecclesia, scilicet tam prelati quam subditi sunt ex *auro*, id est divina sapientia conditi et conditi *mundo*, id est ab omni inquisitione per humilem confessionem mundati. Unde additur: *simile vetro mundo*. Vitrum de cinere fit per ingenium magistri et calorem ignis. Sic nimurum omnes electi figmenti sui non immemores, dum peccata que per fragilitatem suam contrahunt confitentur, quod et notatur in vitro in quo non absconditur quod intus est (cfr. Lc 12,2), quasi per industriam illo igne, quem Dominus misit in terram (cfr. Lc 12,49) et voluit vehementer accendi, de cinere vitrum mundissimum efficit<sup>66</sup>.

### [Apc 21,19]

[159r] MAGISTER. In iaspide qui est viridis coloris notatur fides que fructum bonorum operum promittit. Iste lapis primus ornat fundamenta civitatis, quia illa beata vita apostoli et ceteri predicatorum pro ornamento habebunt eos qui per eos crediderunt. Iaspis ergo, qui est viridis ac persi coloris, significat seculares fideles, quorum viriditas, id est fides secularibus negotiis aliquantis per obfuscatur: elemosinis tamen et ceteris misericordie operibus peccata sua redimunt. Qui bene primo loco ponuntur, quia apostoli, timentes his qui ex gentibus primo crediderant austeriora precepta committere, scripserunt eis: «Placuit Spiritui sancto et nobis nichil imponere vobis oneris, nisi ut abstineatis a fornicatione et ab escis que ydolis immolantur et suffocato et sanguine» (Act 15,28-29). Unde et apostolus Petrus: «Qui novit corda, Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum sicut et nobis» (Act 15,8), fide purificans corda eorum.

MAGISTER. Saphirus igitur, qui habet speciem celestis throni similem, signat corda simplicium spem certam prestolantium, quorum vita et moribus delectatur Altissimus. *Tercius calcedonius*. Calcedonius pallentem ignis effigiem

66. efficitur] efficiuntur M

habet, subrutilat in publico, fulgorem dat in nubilo, virtutem fert fidelium occulte famulantium. Est etiam fortissime nature, adeo ut sculpentium argumentis resistat; per quod significat invictissimam sanctorum patientiam. Quorum unus ait: «Quis nos separabit a caritate Christi?». Certus sum quia neque mors neque vita et cetera poterit nos separare a caritate Dei (Rm 8,35-39).

[Apc 21,22-27]

[163r] MAGISTER. Lucerna est testa continens lumen et significat humanitatem Christi continentem plenitudinem divinitatis corporaliter. Ipse nunc est lucerna properantibus ad patriam claritatis eterne. In lumine eius ambulant omnes gentes ipsoque lumine fruemur in patria, quo nunc regimur in via. Eodem informati inter bona malaque discernimus, quo tunc beatificati sola que bona sunt cernimus. Ipse Agnus qui nunc est peregrinantibus via, tunc erit civibus vita. *Et reges terre afferent gloriam suam et honorem in illam et porte eius non claudentur per diem, nox enim non erit in ea. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam nec intrabit in illa aliquid coquinatum et faciens abominationem et mendacium nisi qui scripti sunt in libro vite et Agni.* A similitudine triumphantium loquitur hic, qui sicut ob insigne victoriarum suarum spolia de prostratis hostibus in suas urbes ferunt, ita sancti apostoli et ceteri predicatori, qui propter regimen animarum reges appellantur, omnes quos sua predicatione de potestate diaboli rapuerunt, ibi ad honorem Dei et illius perpetue civitatis decorum et sue remunerationis gloriam offerent. Unde Apostolus: «Gloria nostra vos estis, in die Domini nostri Iesu Christi» (II Cor 1,14). Aliter: reges terre possunt intelligi omnes iusti secundum voluntatem Dei seipso regentes de quibus dicitur: «Cor regis in manu Dei est et quocumque voluerit vertet illud» (Prv 21,1). Hi reges, non in virtutibus suis sed in infirmitatibus cum Apostolo gloriante ut inhabitet in eis virtus Christi, humilitas (*cfr.* II Cor 12,9), mente et desiderio novissimum locum in Ecclesia ambientes gloriari et honorari in hac vita non curant, donec in illa celesti Ierusalem beata immortalitate vestiti, gloria et honore coronati, feliciter ascendant superius. Tunc erit illis honor et gloria coram angelicis spiritibus, superbis et elatis cum magna confusione novissimum locum tenentibus. *Porte eius non claudentur.* De futuro statu dicit: hec enim clauduntur hereticis et sceleratis, dum prohibetur sanctum dari canibus, ne si margarite sancte predicationis porcis exponerentur concularent eas. Et ostendit quare non claudantur: *nox enim – inquit – non erit illuc.* Nulla ignorantia, nulla obscuritas, nullus locus insidiarum furibus ibi patebit, sed iugis splendor et omnimoda securitas malorum timore sublatu totam civitatem letificabit. Neque enim dicetur ibi amplius: «Vigilate et orate ne intretis in temptationem» (Mt 26,41), sed: «Vacate et videte quoniam ego sum Deus» (Ps 45,11). *Et afferent gloriam et honorem in illam:* haut dubium

quin ipsi reges cum quos predicatione sua de diversis gentibus acquisierunt, ibi ad percipiendam perpetue glorie portionem quasi usuras de credito sibi talento reportabunt. Et quamvis porte non claudantur et nox non sit illic, tamen *non intrabit in ea aliquid* coinquatum et faciens abominationem et mendacium sicut in presenti Ecclesia in qua reprobi electis admixti sunt. Et quid plura? Nullus intrabit nisi prescitus in eterna dispositione Dei, nullus nisi *qui scripti sunt in libro vite et Agni*, id est imitatores vite Christi qui est nobis propositus liber in quo scriptum est ut faciamus voluntatem Dei.

#### «CAPUT XXII»

[Apc 22,1-8]

[164r] *Et ostendit michi fluvium aque vite splendidum tamquam cristallum procedentem de sede Dei et Agni in medio platee eius. Et ex utraque parte fluminis lignum vite afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum et folia ligni ad sanitatem gentium.* Postquam situm civitatis, dignitatem, muros et fundamenta ostendit, describit refectionem quam Deus in presenti et maxime ei in futuro preparavit. Hic enim dat resurrectionem quodammodo per baptismum et tamen est figura illius future beatitudinis «ubi Christus erit omnia in omnibus» (cfr. I Cor 15,28). *Ostendit – inquit – michi* idem angelus qui priora monstraverat, *fluvium* non mellis, non lactis sed *aque vive*, id est baptismatis dantis veram vitam. Fluvium dico *splendidum*, id est homines facientem splendere in virtutibus, et *tamquam cristallum*, id est fortes contra vitia et puros in conscientiis. Fluvium dico *procedentem de sede Dei et Agni in medio platee eius*, id est ad noticiam et communitatem populorum venientem per predicatores, in quibus principaliter residet Deus, per quorum officium derivantur<sup>67</sup> *aque vite* per plateas Ecclesie, id est ad minores qui latiori via incedunt. Queritur etiam de baptismo cur per aquam potius quam per alium liquorem fiat. Ad quod respondetur quia sic ab ipso Domino nostro Iesu Christo institutum est dicente: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest intrare in regnum Dei» (Io 3,5). Scimus etiam quia sola aqua plenam et perfectam munitionem habet et ceteri liquores purificantur per aquam. Aque etiam natura est ut extinguit. Sic baptismus abluit sordes peccatorum et extinguit eternum ignem peccatis debitum. Et ne quis putet patres Veteris Testamenti, qui baptizati non sunt, non salvari, *ex utraque – inquit – parte fluminis lignum vite*. Per citra flumen intelligimus tempus quod fuit ante baptismum, per ultra illud quod a baptismo cepit. Habebant enim antiqui patres et ante legem et sub lege sua instituta, fidem scilicet et sacrificia et circumcisionem, quibus ab

67. derivantur correxii : dirivantur M

originali peccato mundabantur sicut nunc per baptismum purificamur. Quod prefiguravit Moyses, qui duxit filios Israel usque ad fluvium Iordanis, et Jesus Nave, qui de flumine duxit eos in terram promissionis. *Afferens fructus duodecim* per menses singulos reddens fructum suum. In duodecim mensibus omne tempus insinuat vite illius de qua dicitur: «Et anni tui non deficient» (Ps 102,28). Et iterum: «Erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato» (Is 66,23), ubi presens Domini vultus, eterna sanitas, eternus vite cibus est. Potest et sic intelligi quod scilicet *lignum vite* Christus, qui quasi in utraque ripa et in hac vita corpore et sanguine suo et in futura sua indeficienti visione nos vivificat, per duodecim apostolos fructificet, qui in quattuor partibus mundi fidem sancte Trinitatis predicaverunt. Apostoli enim et hore sunt illius diei per quem factus est omnis dies et menses illius anni, de quo scriptum est: «Benedices corone anni benicitatis tue» (Ps 64,12). *Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Folia ligni sunt precepta Christi que, si impleantur, corporis et anime conferunt sanitatem.

[165r] *Et omne maledictum non erit amplius sed sedes Dei et Agni in illa erunt et servi eius servient illi et videbunt faciem eius et nomen eius in frontibus eorum. Et nox ultra non erit et non egebunt lumine lucerne neque lumine solis quoniam Dominus Deus illuminabit illos et regnabunt in secula seculorum.* MAGISTER. Hec omnia superius dixerat, sed quanto desiderio sit ambiendum insinuat quod totiens inculcando replicat. Vere enim desideranda est illa beata visio que fidei nostre servatur premium; quod sumмum esse bonum Phylippus intelligens aiebat: «Domine, ostende nobis Patrem et sufficit nobis» (Io 14,8). Ibi *maledictum amplius non erit*, sed omnis Ecclesia sanctorum tunc perfecte benedicetur a Domino. Amen. Ibi *sedes Dei et Agni erunt*, quia iusti, qui in hac vita suas animas sedes sapientie per iusticiam et iudicium preparaverunt, feliciter ibi pausabunt. *Et servi eius servient illi*, non utique laboriosa servitute, sed gloriosa quali dicit Psalmista: «Beati qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te» (Ps 83,5). De qua et hic dicitur: *Et videbunt faciem eius*, id est perfectam eius cognitionem habebunt. Neque enim pueriliter intelligendum est Deum corpoream habere faciem, que corporeis videatur oculis, sed quia in facie hominis cognitio est, facies Dei, quam electi visuri sunt, nichil aliud quam cognitio sancte Trinitatis intelligitur. De qua idem<sup>68</sup> Iohannes: «Videbimus eum sicuti est» (I Io 3,2), qualem scilicet nunc angeli vident eum, qui – ut legitur – desiderant in eum prospicere. *Et nomen eius in frontibus eorum*, quia confessio nominis sancti, nunc inter hostes servata, tunc victores glorificabit in patria. *Et nox ultra non erit et non egebunt lumine lucerne neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* Neque enim ibi fragilitas corporum vel

68. idem] isdem M

quiete noctis vel ignis eget lumine, quando erit Deus omnia in omnibus (cfr. I Cor 15,28), qui est lux vera et sanctorum requies sempiterna. Que verba si ad allegoriam referas, non ibi prophetarum exhortatio, non legis est predicatio necessaria, que nunc lucerna esse dicitur in obscurlo loco, quia in Dei contemplatione, rebus expletis, tenetur perfecta promissio. Sicut autem in principio libri huius suam visionem commendavit dicens: *beatus qui legit et qui audiunt verba prophetie huius*, ita et nunc in fine similiter facit. Dicit itaque: *Et dixit michi*, idem scilicet angelus qui cetera. *Hec verba fidelissima sunt et vera*, id est quecumque in hac revelatione et verbis et figuris tibi ostensa sunt, dignissima sunt ut eis fides adhibeatur. Nec tamen de Iohannis diffidentia dubitabat, sed verissimam visionem omni Ecclesie, in qua et parvulos futuros noverat, commendabat (cfr. Mc 10,14). Item alia commendatio ex persona Domini angelum mittentis. *Et Dominus Deus spiritum prophetarum misit angelum suum ostendere suis que oportet fieri cito*. Non dubites – inquit – de persona monentis: Dominus enim ipse, qui spiritus prophetarum celesti solet imbuere visione, hec me tibi misit futura premonstrare. Bene igitur, o auditores, credere debetis quia ille qui in potestate habet dona Spiritus sancti, cuius instinctu locuti sunt sancti Dei prophete, *misit angelum suum annuntiare non contemptoribus Iudeis*, non superbis philosophis, sed specialiter suis, id est humilibus, unde dicit: «Confiteor tibi Pater Domine celi et terre quia abscondisti hec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis» (Mt 11,25-27). Que sunt autem que ita oportet fieri ut non possint non expleri, nisi remuneratio iustorum et damnatio reproborum? Quod profecto cito fiet, quia sicut iamdudum hic ipse Iohannes in epistola sua dixit: «Novissima hora est» (I Io 2,18), unde et hic subditur: *ecce venio velociter, ad iudicium scilicet. Beatus igitur qui custodit verba prophetie libri huius*, id est opere implet. *Et ego Iohannes qui audivi et vide hec*. Alia commendatio libri ex propria persona. Ac si dicat: Ego qui nichil falsi soleo vobis annuntiare *audivi et vidi hec*.

[165v] MAGISTER. Quasi oblitus prioris prohibitionis, vult iterum angelum venerari, magno scilicet visionum stupore percussus. Sed sciens angelus hominem Christum super se exaltatum, prohibet se ab homine adorari, ex sua responsione ostendens nos per observantiam huius libri angelis parificari (cfr. Lc 20,36).

### [Apc 22,10-15]

[166r] MAGISTER. Nota quod in principio libri huius dicitur Iohanni: *scribe omnia que vidisti et mitte Ecclesiis*, in medio vero: *signa que locuta sunt septem tonitrua et noli ea scribere*, nunc autem in fine: *ne signaveris verba prophetie libri huius*. Previderat namque Spiritus sanctus quod in principio nascentis Ecclesie dociles essent auditores et attenti, in medio contemptores et tepidi, in fine ite-

rum, predicante Helya et Enoch, quotquot tunc erunt iusti avide requirent Verbum Dei. Propterea dicitur hic: *ne signaveris verba prophetie huius, sed omnibus annuntia, ne quis forte de ignorantia se excuset, quia tempus prope est quo reddatur singulis secundum opera sua.* Verum quia non nisi iustissime veniet terribilis illa expectatio iudicii et ignis emulatio que consumptura est adversarios, *qui nocet noceat adhuc et qui in sordibus est sordescat adhuc.* O terribilia et inscrutabilia, iustissima tamen iudicia Dei, quibus mali in peius proficere permittuntur et ad summam pervenire nequitiam! Quod profecto ex inobedientie culpa contigit, sicut testatur Dominus per psalmistam: «Et non audit – inquit – populus meus vocem meam et Israel non intendit michi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis» (Ps 80,12-13). Iustus etiam iusticiam faciat adhuc et *sanc tus sanctificetur adhuc*, ut, et illis in voluntate male operandi et istis in intentione et desiderio proficiendi deprehensis, iustissime sit eternum quod utrisque retribuitur. Addit autem quod ad terrorem incutendum totiens replicatur in hoc libro: *ecce venio cito et merces mea tecum est reddere unicuique secundum opera sua.* Quod expositione non indiget, sed observatione, ne nos inparatos inveniat. Et bene omnibus secundum merita retribuere possum, *quia ego sum A et Q, primus et novissimus, initium et finis.* Per *A*, que est prima littera apud Grecos, indicatur quod Christus<sup>69</sup> sit principium, manens cum Patre; per *Q* vero, que est ultima, quod in fine temporum temporaliter natus sit de Matre. In *A* verbi divinitas, in *Q* suscepta humanitas indicatur. Quod crebra in hoc libro repetitione firmatur, sive ut unius nature tota Trinitas intimetur que per Prophetam dicit: «Ante me non est formatus Deus et post me non erit» (Is 43,10). Et quia dixerat: *qui nocet noceat adhuc et qui in sordibus est sordescat adhuc*, ne forte desperarent peccatores et dicerent nichil sibi prodesse si penitentiam agerent, consolatur eos et dicit: *Beati qui lavant stolas suas atque custodiunt mandata Dei, ut sit potestas eorum in ligno vite et per portas intrent in civitatem. Foris autem canes et benefici et impudici et homicide et ydolis servientes et omnis qui amat et facit mendacium.* Beatissimi sunt qui non inquinaverunt vestimenta sua, *beati quoque qui stolas suas*, id est corpora sua quibus anime eorum vesiuntur, que peccando maculaverunt, per observantiam mandatorum Dei et per lamenta penitentie *lavant*. Sic enim *potestas eorum erit in ligno vite*, quia pro peccatoribus redimendis lignum crucis ascendit Christus, *lignum vite*. Denique ipsi sunt qui per portas ingrediuntur civitatem. Porta Christus est qui ait: «Ego sum ostium. Per me si quis introierit salvabitur» (Io 10,9). Porte etiam dicuntur hi quibus collata est potestas ligandi atque solvendi. Qui dum ex officio suo peccatores absolvunt admo-

69. christus] christo M

nentes eos quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (*cfr.* Act 14,22), portam celestis Ierusalem eis aperiunt. Beati qui per has portas nunc ingrediuntur per fidem, egressuri de fide ad speciem, inventuri passqua viriditatis eterne sub umbra ligni vite. Qui aliunde temptat ascendere, ille fur est et latro (Io 10,1), de quibus subditur hic: *Foris canes et benefici et impudici*. Canes sunt contradicentes et oblatrantes veritati, *benefici* qui veneno nequitie sue alios inficiunt, *impudici* qui invereconde peccant. Hi, intrante patre familias et secum sanctos ad nuptias introducente (*cfr.* Mt 22,1-14), excluduntur, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Excluduntur etiam homicide et ydolatre et cum eis qui solo auditu amant mendacium et operando faciunt.

[Apc 22,16-21]

[167r] MAGISTER<sup>70</sup>. Simul etiam librum ad legendum sua auctoritate commendat dicens: *ego Iesus misi angelum meum, stella splendida et mattutina*, qui scilicet post noctem passionis vivus apparens, lumen resurrectionis et vite, verbis et exemplo, seculis ostendi meaque resurrectione communem omnium resurrectionem, velut Lucifer diem, annuntiavi. De quo Lucifer ad beatum Iob ait: «Numquid producis Luciferum in tempore suo?» (Job 38,32) Et post omnes commendationes ponit etiam *ex sponso vel spiritu*, id est tota Trinitate commendationem. *Et sponsus*<sup>71</sup> – inquit – *et sponsa dicunt: Veni. Et qui audit dicat: Veni. Qui sitit veniat et qui vult accipiat aquam vite gratis*. Sponsus Ecclesie Deus vel, ut quidam codices habent, *spiritus*, id est tota Trinitas, que pro puritatis excellentia dicitur sponsus, et ipsa sponsa, Ecclesia, *dicunt: Veni*; *spiritus* per internam inspirationem, sponsa per apertam predicationem. *Qui igitur audit*, id est intelligit, non eat solus, sed dicat ali non audienti vel forte dissimulanti: *Veni*. Ubi audi: *qui sitit veniat et qui vult accipiat aquam vite gratis*, apud te est fons vite (Ps 36,10). *Veni* ergo, eamus ad Deum, qui nos vocat et exspectat, ad quem tamen non omnes pervenient, sed solus *qui sitit*, id est qui eum desiderat, sicut ille qui dicebat: «*Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*» (Ps 41,3). Sic etiam liberum convenitur arbitrium dicendo: *qui vult accipiat*, ut etiam gratia predicetur, subiungendo: *aquam vite gratis*, id est nullis precedentibus meritis. Et ipsum enim velle Dei donum est. Postquam autem commendavit librum suum Iohannes per multas auctoritates, quia sciebat quosdam hereticos in Asya, quorum mos<sup>72</sup> et voluntas erat auferre de libris sanctorum

70. magister] *in marg.* M

71. et sponsus] *vel spiritus add. inter lin.* M

72. mos] mons *a.c.* M

que suis heresibus contrairent et intersetere suas hereses ut ex sacris codicibus errores suos confirmarent, excommunicat omnes qui vel apponunt aliquid huic libro vel subtrahunt. Ait ergo: *Contestor ego omni audienti verba prophetie libri huius. Si quis apposuerit ad hec apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et, si quis diminuerit de verbis libri prophetie huius auferet Deus partem eius de libro vite et de civitate sancta et de his que scripta sunt in libro isto.* Non propter eos dicit hec qui ad edificationem Ecclesie simpliciter dicunt quod sentiunt, in nullo prophetia mutilata, sed propter falsatores qui, volendo pervertere, apponunt aliquid vel subtrahunt. Et addit: *Dicit qui testimonium perhibet horum.* Ac si dicat: Non solum ego excommunico libri huius corruptorem, sed et ipse Iesus, qui testimonium perhibet horum, confirmat. *Etiam venio cito. Amen.* Quasi diceret: Vera sunt omnia que in hoc libro scripta sunt et ideo excommunicetur qui ea falsaverit. Ideo posuit *etiam*. Ad terrendos etiam impios et consolandos pios addit: *Venio cito, ad iudicium scilicet; sed, impiis in tenebris suis conticiscentibus, Ecclesia piorum desideratur<sup>73</sup> et devote respondet: Amen. Veni, Domine Iesu.* Hoc etiam quotidie clamat dicens in oratione: *Adveniat regnum tuum* (cfr. Mt 6,10). Et quia sine gratia Dei nichil sumus, que nos misericorditer preveniat et subsequatur, iccirco beatus Iohannes, cui vere competit interpretatio nominis sui, sicut a gratia librum suum incepit, ita in gratia finem ponit dicens: *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis.*

73. desiderantur] desideratur M

